

68

1

XI - 4

GEORGII ANSELMI NEPOTIS.

EPIGRAMMATON LIBRI SEPTEM.



INDEX EPIGRAMMATON.

AD TRANQVILLVM MOLOSSVM LIBER PRIMVS.

TABVLA

AD RAMBERTVM MALATESTAM LIBER SECVNDVS.

TABVLA

AD PASCASIVM BELLIARDVM LIBER TERTIVS.

TABVLA

AD PYRAMVM PEPVLVM LIBER QVARTVS.

TABVLA

TABVLA

AD HIERONYMVM CAMVRANVM LIBER QVINTVS.

AD LATINVM BELLIARDVM LIBER SEPTIMVS.

TABVLA

IN .P. VIRGILII MARONIS DIEM NATALEM AD AVRELIVM FOSSAM REGIENSEM SOSTHYRIDES.

GEORGII ANSELMI NEPOTIS EPIGRAMMATON AD TRANQVILLVM MOLOSSVM LIBER PRIMVS.

VEMNAM Primitiis inanis ocii
q His & insipidissimis libellis
Donarim potius, libentiusq;
Ornatissime mi Molosse, quam te?
Qui iocis iuuenilibus solebas:
Et nostris nimium fauere nugis.
Nam quid dignius, aptiusq; possim
Rhetori optimo, & optimo poetæ?
Qui cum uiximus unà, & ad senectam
Sine ulla properauimus querela,
Sueti ludere, & ambulare, & iidem
Supinas fugere oscitationes.
Quare habe has tibi ineptias, iocósque
Nudos ingenuosq; simplicesq;
Antiquæ memores sodalitatis
Quos ne serio, ne ue post seuera
Attingas studia, ac graues camœnas,
Rarum pumice dum teris pòëma,
Nec tuos sinis interire amicos.
Sed inter uaga pocula, & deunces,
Cum feruent teneri hinc cachinni, & illinc,

Cum die iuuat ocioq; abuti
Conniuentibus hæc Molosse ocellis
Censura melius leges remissa
Et bonas male collocabis horas.

AD PEPLIDA.

Vinuli ego rapio oris nectar, inops cor amore
Perdo ego, præripiunt uda labella animam.
Protinus ora iterum repeto tua, corq; requiro,
Exaninusq; animam mi reluo in labiis.
Hei nimio, miserum cor liquitur, haud mora, amore,
Vuidulis anima hei mi labat in labiis.
Quod ni illex os Pepli relambo, iterumq; relambo,
Et labia, hei neq; mi cor, neq; deinde anima.

AD VENVSINAM.

Quod princeps, quod honorum, & agri, & auri.
Quod potens Venusina, quodq; auorum,
O uere Attica stirps, nurusq; Erechthei.
Argenti quod habes talenta facti,
Quod nutum famuliq;, Virginesq;
Obseruant, numerosa turba, herilem.
Non cura hinc mihi anhela pertinaxq; est,
Quæ cura & male me urit, & maligne.

Quod ætas facieſq; digna amari,
Vnis ocia dedicata muſis,
Et quod diis grauitateq;,artibuſq;,
Inceſſuq;,habituq;,& ore,certas,
Diſertiſſima quot fuere ,uel ſunt,
Quotq; erunt aliis deinde in annis,
Suadæ ſuauiloquentis,o,medulla
Pleno pectore quod ſapis,quod omnes
Aſſiſtunt tibi gratiæ,atq; amores
Quod caſta,ac ſine labe uita,ſancti
Mores,menſq; tenax uirago honeſti.
Et ſi qui petiere,eoſdem & aſſis,
Eoſdem biliq; facis,piliq;,& ardor
Quod ſum primus ego,nouiſſimuſq;.
Mi hinc ſpinoſa in eo,ſequaxq; cura eſt,
Cura mi Venuſina abena,te unam
Tantum non ut amem, colamq; ut unam
Plus nam hercle,quam auita ſceptra,& urbes,
Et ſi aulas dederitis,& clientes,
O princeps,& honorum,& agri,& auri,
Diues,diues auorum,& ore diues.

DE ÆNEA.

Confectum ætate Æneas per bella,per enſes,
Dum pius hinc patrem portat,& inde deos.

Quid mihi ait danaum insidiæ? quid achaica castra?
Relligio inuictum quem facit, & pietas.

IN.P. VIRGILII OPERA.

Libellus ille quem uidetis hospites,
Ait uoluminum fuisse maximus.
Neq; ullius canentis impetus fidis
Nequisse præterire, siue fistula
Opus foret sonare siue classico.
Et hoc negat superba Romuli iuga
Negare, uatibusq; claram Achaidem,
Rhodonq; nobilem, horridamq; Thraciam,
Sicana saxa, aquæ ue sisyphi uadum.
Vbi iste, post libellus, ante uox fuit
Deorum amica, nanq; Delphico in specu
Loquente sæpe uerba condidit deo
Ilisse flumen, & lycæe pinifer
Tibi hæc fuisse & esse cognitissima
Ait libellus enthea ex origine,
Tuo stetisse dicit in cacumine,
Tuo imbuisse tibias in æquore
Et inde tot per ora docta cursitans
Phrygas tulisse, læua, siue dextera,
Vocaret aura, siue utranq; Pythius
Simul secundus incidisset in manum

I

Neq; ulla nota prouehentibus deis
Sibi esse facta cum ueniret à ioue
Nouissimum hunc ad usq; candidum diem.
Sed hæc prius fuere, nunc Poëtico
Tumet fauore, gratiasq; agit tibi
Gemella cynthia, & gemelle cynthiæ.

AD PHOLOEN.

Vsq; adeo ingi si te iuuat impia fletu,
Et longum Pholoe uiuere morte mea.
Quid moror? in nostrum cur cessas dextera pectus?
Quanq; haud proficies, pectus inane meum est.
Tecum animus quacunq; uorax occumbere morti,
Sed uitam infelix ille habet unde perit.
Causa eadem ut uiuam, ut peream, tua lumina, nec me
Seruare (ut cupias) siue necare potes.

NENIA IN OCTAVIAM ANSELMAM FILIAM.

Flete sentiades meæ, & meorum
Cum fletu comites dolorum adeste.
Nostra Octauiola, illa nostra, nondum
Heheu messibus en tribus peractis
Communes abiit misella in oras.

Negant unde pedem referre quenquam.
Flete Sentiades meæ, & meorum
Cum fletu comites dolorum adeste.
Nam mellitula erat puella, & ultro
Ad suum properabat ipsa patrem.
Circumpendulaq; hinc modo, & modo inde
In sinu illius usq; garriebat.
At uobis male sit mala astra, quæ astra
Tam bellam mihi filiam abstulistis.
O fatum graue, ó scelesta Clotho,
Tua sceuitia mi uterq; ocellus;
Madens, assiduo liquescit imbre.

IN EVLOGVM.

It Eulogus, redit frequenter Eulogus,
Byzares ut solent uagi.
Festinat, accedit, recedit, cursitat,
Negociosus Eulogus.
Alutam & interim premit, nec scit moram,
Quorsum ista quæris? concoquit.

EPITAPHIVM HILARII ANSELMI PATRVI.

Hoc Hilari quodcunque fuit mortale sepulchro,
Cætera nec uersu claudere, nec tumulo est.

AD TYDEVM VGOLETTVM.

Ni nobis oculis fores utrisque
Longe carior erudite Tydeu,
Centonis furerem furore, & ira
Nam tu me quid ita o inique, tota
Tentasti miserum necare cœna
Hora scilicet optima diei
Dum mittis colubros, uenena, & enses?
Dii magni, improbum, ineptum, & indisertum,
Illum barbarum, & impium libellum.
Non impune erit hoc tibi miselle
Cras, si uixero, & hos, & hos, & illos
Euoluam forulos librariorum,
Panatosque, Piosque, Nauitasque,
Si quid præterea infacetiarum est,
Remittam, paria à me ut iis uenenis
Reddantur tibi dona pro uenenis.
Vos hinc este procul, procul que sordes,
Si quis hæc quoque, si quis olim amore
Captus perlegat hæc parum erudita,
Nec sat sobria, nec seuera multum.

EPITAPH. LVD. PINCARI.

Læta dies aderat Martis uicina calendis,
Qua gens corticibus sumpserat ora cauis.
Durus ubi à tergo ueniens siccarius, hasta
Me clandestino uulnere transadigit.
Ense'q; correpto ingentem sine nomine troncum
Deseruit media corpora nostra uia.
Tale scelus miles cæco corruptus ab auro,
Nec commisisset par Catilina nefas.
Improbe iam Phario non concessure Photino,
Hoc caput auulsum est non mihi, sed patriæ.

IN STATVAM IVLII SECVNDI PONT. MAX.

Dextra tenet fulmen, gelidos habet altera fontes,
Iulius alterna cum Ioue sceptra gerit,

IN LIBROS THEOREMATON GEORGII ANSELMI AVI.

Syntaxim Anselmi ut quadruplicem modo
Epidaurius uidit deus.
Iouem increpans, quid profuit telis, ait,
Necasse nos Typhöeis.

Inuenta si mortalium uincunt deos?
Non unus iis reuixerit.

AD PAVLVM TAVRELLVM.

Si me Paule comes diserte, & omnes
Clari principis assecute laudes
Credis scire aliquid, putasq́; doctum
Quantum falleris ipse, quantum aberras;
Nam me uix scio scire, amare doctos,
Mirari, & colere, & sequi, & uereri.
Quare tu ad tua uota Paule habeto
Inanem uacuumq́; litterarum,
Sed plenum fidei bonæ, atq́; amoris.

AD ANTONIVM CABRIELEM.

Publica quod celebras, & rebus dexter agendis,
Quærere opes, partis quod neq́; parcere uis.
Et primi doctos inter quod nominis idem es,
Laudo, nec admiror singula in uno homine.
Hoc laudo, admirorq́;, quod omnia cum simul unus
Mente pari tractes, non pote habere parem.

AD LVCERNAM.

O Lucerna age dic ministra amoris,

Sic nunquam sitias ne, dormias ne,
Cum nox longior est, puellæ & udis
Ducunt uellera sicca de labellis.
Sed brumam, Meliæ manu, per omnem
Non desint tibi stuppula, atque oliuum.
Lyda an, cum absumus, est memor ne nostri?
Suspirat ne nouum uasella amorem?
VC. Vidi ego, ut uigil ex sopore, uidi
Vix singultibus impedita amaris
Sic locuta tua est puella mecum.
O lucerna age amica mi, mearum
Testis unica cogitationum,
Ecquorum aspicies relicta amores?
Et tu frigide lectule ecquem amabunt
Tuæ argutulæ inambulationes?
Hei misella, misella ego, hei misella
Cui nam bella uidebor? hei quem amabo?
Cui frontemque, oculosque, suauiabor?
Quæ pressabo labella sub labellis?
Cui dabo orbiculatulis papillis
Manus instruisse curiosas?
Primus hic amor, ultimusque nobis
Tum tenui exanimata murmurillo
Transegit reliquum puella noctis.
AN. O Sodalia uiue ô lucerna
Viue cara comes meæ puellæ.

Et te, cum abierimus deinde utrique,
Pulchra te locet inter astra Olympus
Meorum memorem o lucerna amorum.

AD PEPLIDA.

Te partes sequor exanimis mea Peplis in omnes,
Anne oculis magnes, ferrea mi est anima?
Cæsiolis ne mihi insanum (precor) hisce ab ocellis
Fert una & uulnus Peplidis hasta, & opem?
An lucis studio mortem per tela, per ignes,
Per laqueos peto, per uincula, per gladios?
Quam miserum ista iuuat fors ambigua, anxia, & exlex,
Dum te, dum mea te pupula Pepli sequar.

AD TELESILLAM.

Intactis Telesilla lilietis,
Vel noua niue purior, uel annis
Hiberni glacialibus pruinis,
Et nigella comam, & nigella ocellos.
Quid quæso, quid ita o superba abire
Mauis me in cinerem, ac leues fauillas
Quam ista luce frui bona, & beata?
Da mi tu Telesilla basium, ah da:
Lingua dulcia labra obambulare;

Titillareq́; & inter has mamillas
Paululum modo me sororiantes
Si, o, si sinis, esse quis modesto
Non putet satis hoc superq́; amanti?
Plura à uirgine qui petat puella
Ausim hunc dicere turpem, & impudicum.

DE LVDOVICO SFORTIA.

Credere ad Ausoniæ uenturos litora turcas
Nil uetat, audierint si modo iussa ducis.
Vidimus Hesperiis Gallos in mœnibus, & nunc
Vincere, degeneri nunc dare terga fuga.
Iam nostros quoq; Cæsar agros calcauit, & ultro
Marcus in adriacis se tenet udus aquis.
Vni nil mirum est pelagus si seruiat, uni
Cui iuga cesserunt, fortiaq́; arma uirum.
Cum uolet hic, digito totum qui temperat orbem,
Rursum hominem poterit cernere terra deum.

EPITAPHIVM GEORGII ANSELMI AVI.

Suspende passus hospes, hoc qui adis saxum
Suaui quiescit ubi Georgius somno
Anselmus, aurea qui astra late, & incertos

Cœli remetiens decemplicis cursus
Diuina nostris subdidit oculis fata,
Magniq; regna nereos, solum, & solem,
Et sessitantes orbibus uagis, mira
Asseruit eruditione sirenas.
Abi tacente iam uiator hinc passu,
Quiescere æquum est tot laboribus functum.

IN LINVM.

Cum maledicebas uoluisti stulte timeri,
Tam male dicentem te line nemo timet.

LIBERO PATRI.

Dicturo sobolem igneam
Magni Ithomii, age atq; orgia mystica
Cistis orgia condita,
Vati Bacche aperi Bacche pater tuo.
Messis feruida tertium
Sacris uitisator dicta redit tuis
Seu crinem madidum mitra
Malis stringere, seu te potius iuuat
Vento pascere mobili
Talarem nitidis uestem humeris trahens.

Proles ó Iouis optimi
    Cœlo quam ſemele progenuit bona
Inſignem puerum comis.
    Quanq́ ſeminecem fulmine noxio
Aſſutum femori pater,
    Fert longa ipſe decem tædia menſium.
Mox Nyſſæ gelido in ſpecu
    Dat Nymphis alere illum (uſq; adeo nihil
Non patris pietas iubet.)
    Silenuſq; ſenex,& comes additur,
Silenus puerum ſenex
    Vel geſtat gremio,uel digito ciet
Ad riſum facili,aut parat
    Somnum motibus,aut tinnula non ſemel
Exercet crepitacula.
    At ſetas deus huic pectore ab hiſpido
Modo uellicat,& modo
    Nares improbior pollice percutit,
Creſcit pube puer noua,
    Obliquiſq; tument tempora cornibus,
Raras Sentia & interim
    Primum uuas grauidis nitibus explicat.
Et iam plebs ſatyri leuis
    Adſunt,qui ſatyri raſilibus legant
Vuas in calathis,pede &
    Nitantur liquidum pellere cæcubum.

Pulsa palladis alite
    Huc sturnatim auibus curritur omnibus,
Feruet nectare opus nouo.
    Non hic magnanimi stat iuuenis tamen
Virtus, ut pote qui Ioue
    Sciret se genitum, uirginis exuit
Frontem, corripit & statim
    Hastam pampinea cuspide nobilem,
Ac Lynces uarias iugo
    Clarus mole noua mox iuuenis premit,
Cinctus flauum edera caput.
    Quid quod sæuum abigens hinc dolū, & hinc scelus,
Orbem circuit, & palam
    Summittens oculis concta fidelibus
Subdit dyscola legibus.
    Olimq; astrigeris officii memor
Dat Dodonidas axibus
    Atq; annis iterum uirgineis frui,
Hoc, ipso melior patre.
    Sed quorsum hæc sequimur? deficient prius
Omnes materia dies.
    Te Ganges domitus, te uitreum mare
Sensit, terrigenum & minæ.
    Tu pœnas sceleris pendere debitas
Cogis Penthea, cogis &
    Ausos in tenero fallere nauitas

Nequicq̃ puero deum.
Tibi mella fluunt ilice de caua,
Tibi buraq́;, stiuaq́;,
Mutatæq́; tibi chaoniæ dapes
Debent, & Polyhymnia
Sacris cum thiasis, & choreæ leues.
Hincq; & mænas, & hinc cohors
Tigres subsequitur sancta Mimallonum,
Late tergora concaua
Taurorum baculo percutiens leui.
Nec desunt comites, furor,
Virtus, ira, metus, uis male sobria.
An uatum repetam sacris
Nunc præcordia tot cognita sortibus?
An quod prata tepentibus
Exornas zephyris, tempus, & annua
Rerum semina diuidis?
Et terram medio legitimis tenes
Suspensam aere nexibus.
Tu cœli meritos das latera ardua
Plenos scandere nectare.
Tu seruas superum sceptra potentium, &
Magnum concilias iouem.
Tu sanctis dapibus cælitum amicior
Das accumbere, tu mihi
Huc, quocunq; placet nomine, ades precor

O, Lychnita

O Lychni ita deum bone,
   Nympharum medius Castalidum chori.
Et da si merui, pater
   Lumen perpetuum diuitis ingeni.

AD LARES.

Dulces exigui Lares poëtæ
   (Vt statis uetuli) neq; inuidentes
   Excelsis domibus potentiorum.
   Vobiscum graue ne putate uestram
   Deductam hancce diu ociari alumnam
   Musam futtilem ineruditam, inanem.
   Quando estis mihiq;, huicq;, cariores;
   Excelsis domibus potentiorum
   Dulces exigui Lares poëtæ.

TVMVLVS LAGERII VECTII.

Hæc posui Vecti monumenta bone, o bone Vecti
   Exigua, ingentis munera amicitiæ.
At tibi lethei (si fas in morte) leuarit
   Me super o nunq̃ fluminis unda sitim.

AD MARVLLVM.

Splendida antiqui soboles Marulli
   Prima quæ Orphæo pede rite tantis

Promoues seclis tripodas silentes
Pectine eburno.
Prima quæ uinci ueteres poetas
Posse monstrasti fidibus canoris,
Ipsa dum uincis prior, & parentum
Concipis artes.
O Pelasgi nominis, & Latini
Gloria, extinctis homines fauillis
Qui leuas raptos super alta curru
Sidera, fama.
Te colunt gentes graue concinentem,
Te stupent Diui graue concinentem
O bonæ pacis pater, atq; belli
Strenuus auctor.
An manu incertum potior ne uoce,
Nam quis indutum tunica trilici
Exprimat dextra magis, aut frementem
Carmine Martem?
Tu quidem cunctis in utroq; præstas,
Seu caput tectus galea, micantem
Fraxinum torques, & equos ferocem
Stringis in hostem,
Siue quem multo sale perfricas, seu
Tu canis sanctas superum cohortes,
Seu Lyra late celebras Neæram
Crinibus aureis.

Viue io armorumq; sciens, sciensq;
Carminis compti generose Vates,
Æthra, terrarum solà qui relinquens
Scandis apertum.
Cui dii (uanus neq; fallor augur)
Exuli dant regibus inuidendum,
Quoq; doctorum uolites per ora
Æmulus Orphi.

DE FVRNIA.

Gratiæ erant tres quondam, sed nunc àddita quarta est
Furnia, Gratiæ enim Gratiam & inde petunt.

AD FENESTRAM.

Quam mihi aeria o Fenestra uellem
Alas molliculæ dari columbæ,
Peplis dum niuea manu cohercet
Suaueolentis Amaraci capillos.
Ter circum querula ipsa pipilarem,
Rostello nitidosq;, obesulosq;
Titillarem humeros, leuarem honora
Velum ex fronte, deinde scalpurirem
Affatim ungue papillulas procaci.
O siquis faciles Fenestra pennas

Daret candidulæ mihi columbæ,
Morderem labias, rubruniq; nectar
Infesta elicerem subinde, & iras
Petilis pedibus petulca, & alis,
Et deinde iocum, & deinde rixas,
Et risus iterum excitarem, & iras.
O felix ter Amarace, & beata,
Num gaudes bona Amarace, atq; mœres,
Num langues cedo, num uirescis, ipsa
Pulchræ cum dominæ foueris umbra?
Si, cum cæsiolos lacesso ocellos,
Cumq; ore, eminula ora, peruicaci
Incesso, cum animæ relinquo florem,
Tantillum dominæ aura blandiatur,
Vnà uiuerem ego, unà & interirem.
O quis aeriæ mihi columbæ
Aptarit uolucres fenestra plumas.

IN HELIODORVM.

Omnia cum facias sine testibus Heliodore,
Ne mirum Nephele si tua sæpe negat.

EPITAPHIVM ZINZYMINI.

Hanc buxum tibi pallidam, & propinquum
Quod circuntegat ossa senticetum,

I

Lamentabile Zinzymine munus,
Cum luctu Galeatius dicauit.
Tu post millia multa sæculorum
Infernis cum iterum redibis umbris,
Ne paruus pueros lacesse, qui nunc
Saxorum petiere te procella.
Ne rursus fleat optimus patronus
Tam formosum, & amabilem Catellum.

AD DELIAM.

O quam te memorem uirgo, neq; est tibi
Mortalis facies, neq;
Illex hæc hominem, blandaq; uox sonat.
O certe dea, age ô decus
Phœbi, difficilem pone superbiam
Splendor uirginei chori.
Qua te diua chely, aut carmine prædicem
Vultu longe homines supra?
An castum referam, & Sithonia prius
Pectus candidius niue?
Suggestum ne comæ? an clarum Hyperione
Frontis splendidius iubar?
An labra exitium dulcia amantibus?
Heu labra exitium mihi.
Sed quis nam æmula diis Delia, cæteras
Laudes enumeret tuas?

Tu me marmoreo, me miserum mori
Cogis Delia pectore.
Tu me flammiferis, me miserum enecas
Illis luminibus dea.
Hoc longum moneat sæpe silentium,
Hic quando loquitur satis.
Qui seruare tacens iam didicit fidem
Curis uinctus aheneis.

EPITAPHIVM FLORIANI ANSELMI MEDICI.

Mars animos, mentemq; tibi, præstantia membra,
Inuictasq; manus, Amphitryoniades.
Cynthius ingenium, speciem Semeleius Euan,
Suadella os, mores ipse tibi dederas.
Iuppiter inuidit terris tot cœlitum honores,
Atq; immaturo funere te rapuit.
Haud tamen ipse uelim lacrimis uexare quietum,
Nam bene qui uixit, uixit & ille diu.

AD PANOPEN.

Amabo & niueas tuas papillas,
Et frontem niueis parem papillis,
Collaq;, oraq; eburnea, aureosq;

Crines, cæsiolosq; & hos ocellos,
Quanq amem mage amænulosq; mores,
Lususq;, & Veneres, libidinesq;.
Nunc si unà libeat meridiari,
Quater peius amabo, quinquiesq;,
Septies, deciesq;, centiesq;
Alpinis Panopen parem pruinis,
Et quicquid domi habet ioci, ac leporum

IN OLLVM.

Hoc sine fraude licet dicam, si mentior Olle
Et Creta, & Parthis uanior inueniar.
Ne uiuam, uobis si qua est iniuria mecum,
Sæpe equidem uellem parcere, sed nequeo.
Tantum ego rimarum plenus sum, hac perfluo, & illac,
Ferre sacer possit uix quoq; Cento scelus.
Scilicet infandum statuas si linquere crimen,
Nil me dicturum spondeo, doq; fidem.

AD LVCRETIAM.

Sic Lucretia, sic feri, neca, ure,
Istum Tydea ferreum, ferisq;
Qui immansuetior, efferatiorq; est,
Et crudelior, & magis ferinus.

Qui durus quoque adurit ipse amantes,
Durus qui ferit, & necat, misellos.
Sic quaestum facias perennem, & omnes
Pellacem pueri petant puellam.
At tu ferree, saue, acerbe, Tydeu
Quod facis patere, aut mihi benignus
Tam sis, tam pius, atque liberalis,
Quam formosus es, atque delicatus.

DE SOSYLO MEDICO.

De Lanio medicus fit Sosylus, haud noua res est,
Fecit enim Lanius, quod facit & medicus.

IN PHILONEM.

Chære ó philon, græcanica o philon Siren,
Achaiæ octauus Philon sophos chære,
Oenotriæ sed tertius Cato nostræ,
(Apasticon nisi hoc minus placet) salue.
Græcari enim sueto fide diu, & lingua
Latium tibi uocabulis inops sordet.
Quid cogitare te rear tua fronte
Istac superciliosa? & horrido uultu?
Et pallio undequaque pulueris tantum
Mouente, arenas quantum inertibus Xerxes,

I

Vel si Libyssinas premat fugax armis,
Domestico an uexaris o Philon morbo?

DE TELESIPPA.

Ibat ab Eridano niueas Telesippa papillas
Nuda, genu atq; humeros nuda, ferebat aquas.
Forte hanc dum bibula fluuius spaciatur arena,
Insequitur, laticesq; huc agit, hucq; suos.
Dum sequitur, dum uelle sequi ne uidetur, humi illa
Labitur, it uersus prona per ora liquor.
Erubuit Telesippa, undæ [illegible] calorem,
Perq; humeros fugiunt, collaq;, perq; sinus.
Fluuiorum nostram rex effuge, ne tibi cladem
Ipsa suo pariat fulmine, & igne, nouam.

IN CENTONEM.

Inuisum superis caput scelestum
Cui sunt lumina grandiora, & ora,
Vt sunt lumina, & ora, pertinacum
Eminentia sabbatariorum.
Dic, obscenior omnibus latrinis,
Cur linguam tibi dicerem impeditam?
Vulpis plus olidum fuga, & molestum
Hunc spurcissimum anhelitum? inquinatum

Instabiles reseruuit ortus.
Cum te uagantem lumine deuio
Plebs insolenter discere pertinax
Miratur, ac uultus uidet, nunc
Dissimiles sibi, nunc eosdem.
Fratri exeris uel cum iubar æmulum,
Caliginosæ uel faciem tibi
Cum decolorauere nubes,
Tessala uel tenuit sacerdos.
Cœli serenis sola Poëtice est
Dimissa magni sedibus, intimam
Implens deo mentem potenti,
Atque animos agitans capaces.
Sed quæ tamen se largius intulit
Nulli, iocoso quam tibi Naugeri,
Quem læta nutriuit, simulque
Erudiit puerum benigno.
Natura quamque dotibus inclitis,
Fortunaque ingens ornat, & optimos
Non parca, nec mendax, parentes
Muneribus propriis lacessit.
Vrbs ut sit in quo se pælagi potens
Regina iactet plurimum, & Italos
Victrix & externos, neque uno
Conprimat imperio superba.
Hac auspice ibis sospes in ultimos

Vates Iberos, nec mare turbidum
Truces nec Austros, nec furentem
Æquoris aspicies tumultum.
Implebis ipse & Cæsari, & omnibus
Desideratus cuncta fideliter
Legatus excelsi senatus,
Mox patriam incolumis reuises.
Magnum Iouis donum, uenerandus &
Vatum labor, tu præcipites lyra
Compescis annos, tu sororum
Ferrea pensa trium coherces.
Testudinis quin murmur eburneæ
Cui liberali munere cœlites
Dedere diui, non minacis
Arbitrium metuet tyranni.
Sed Tyridatemq;, & profugum Scytham,
Et bellicosæ spicula Galliæ
Ridebit insons, & scelestos
Negliget impauidus Brigantas.
O ter beatum pellere barbiton
Quencumq; Clio iussit amabilem,
Huic sæua non Circe refingat
Horribili sacra membra potu.

Finis.

GEORGII ANSELMI NEPOTIS EPIGRAMMATON AD RAMBERTVM MALATESTAM LIBER SECVNDVS.

N tibi nugarum liber hic Malatesta mearum
Mittitur, inceptis altera cura iocis.
Non tua quo sembus celebrētur nomina sæclis,
Nec sit in hoc Vati fama, decus ue tuo.
Gratus es, & (si quid noui) qui uincere largis
Semper & officiis, muneribusq; uelis
Fœnore promereor grandi te maxime Vates,
Munus, & exili munere, maius emo.
Nam mea cum nullus mihi sit per carmina splendor,
In libris uolumus nomen habere tuis.

AD PHYLLIDA.

Illa ó Phylli fides, ubi est? ubi ille est
Iuratus totiens mihi ardor uni?
Sic me perfida deseris? me iniqua?
Qui uitæ dominus tuæ, integellus
Sat, superq; habui intueri honorum
Frontis eximiæ decus, iubarq;,
Quod totis iubar ibat ex ocellis,
Sed cum eras mea. Nunc, ubi es misella

Lenoni data præda, nullum inest iam
Aut fronti decor, aut honos ocellis.
Sed periurus, & infidelis ille
Nos sciet sibi non bene esse amicos.
Tu uero o aliquando spreta nosces
Quid nouo, prior hic, amante distet.

AD TERMINVM.

Tu quicunque tribus finem decernis agellis,
Seu stipes fixus Termine, siue lapis.
Hos a laua hortos geminis defende rapinis,
Seruabunt triplices cætera iura uiæ.
Hic nostra exiguam sedem de parte, quotannis
Facturi nullo sanguine sacra, damus.
Turpe hoc, uicino Capitoli immobile saxum
Mortali uelle est cedere, nole Ioui.

IN HOMERI LIBROS.

Quid Lector isto in opere tamdiu pendes
Rerum stupens miracula?
Tulere non iuga hæc niuosa Parnasi,
Non Pythii uatis mele.
Non impotentum iubila alta Faunorum,
Rupes uel Arcadum inuiæ.

Iouis nec incitata fulguratoris
  Orbis decemplicis rota.
Sed dii deæq; omnes, parensq; Natura.
  (Nam mo'is hoc tanta fuit)
Quid spiritus possent, quid & animæ, & uires,
  Mensi omnibus semel modis.

DE HYA PVERO.

Dum Phaëtontæi puer æquora præterit amnis,
  Succiduos liquit lubrica arena pedes.
Quicq; simul torto luctantem in uortice fluctus
  Occupat, hic mediis mergit auarus aquis.
Aut inuiderunt Veneto sub flumine Nymphæ
  Herculeum uobis quæ rapuistis Hylan.
Aut patri Eridano uitrei, dum epulatur in antris
  Pro Ganymede, puer pocula miscet Hyas.

IN TRASYBVLVM.

Rogatus olim cum Tyrannis solueret
  Trasybulus exitium Atticis.
Quas gratias ipsi referret patria
  Tam masculo ausu libera?
O, inquit, omnes dii uelint, quod debeo
  Vt rettulisse me putet.

Epithe

EPITAPHIVM IALEMI PAXII.

Offa tibi tellus trifti iam feffa fenecta
Ipfe peregrina Paxius urbe dicat.
Exiguam,& molem,paruoq; fub aggere buftum,
Hic ubi de longo parta labore quies.
Hos igitur manes placidus ne lede uiator,
Neu prohibe æterno membra fopore frui.
Communis terra eft cunctis mortalibus,ex qua
Gleba bono ne fit inuidiofa feni.

AD VATIENAM.

Quod non uis Vatiena bafiari,
Sed preffis fugis huc & huc labellis,
Vt prima noua nupta nocte,inepta
Vulnus cum alterius loci timebas.
Quod raro refupina,fed finiftrum
Totis noctibus in latus recumbis.
Tum fi quis te ineat femel,bis,& ter,
Tuas quod neq; agis fcelefta partes,
Quidnam quid Vatiena fufpicemur?
In puppim puto uelle te feriri.

AD PEPLIDA.

Pieridas, ueterem recolens iniuriam, olympum
Audierat Tellus, ex ioue habere nouem.
Non mora, Praxillam, Erinnem, Myroq;, Corinnamq;
Eduxit, Myrtin, Nossida, claram Anyten.
Et Sapphò Æoliden, & magnanimam Telesillam,
Magnanimam Telesillam & cithara, & galea,
Ecquid bruta, inquit, moliris Iuppiter? an tu
Aequari cœlo sordida, inersq; putas?
Sic fatur, decimámq; sibi pater arrogat, & rex,
Et numerat Musis te mea Pepli suis.
Felix ingenio, atq; opibus Pepli, sola sororum
Digna choro, aura digna, ac Ioue digna patre.

DE DISSIDIO GLYCERES

Iandudum dubiis quoniam fera bella sagittis
Amor proteruus integrat.
Dissidium a nobis postq̃ Glycere impia fecit,
Fide soluta pessimum.
Imus in aduersas ne ultro o mea pectora flammas?
Imus. Refigi hodie sat est.

AD .M. GARBACIVM.

Si sit opus nihil, ut petam, ais te Marce, quid istud?
Cui opus est cunctis, non petit ille nihil.

EPITAPHIVM ALBERTI ANSELMI PONTIFICIS.

Quod lituo, & mitra crines redimitus honora,
Moribus iis nostro tempore rarus honos.
Quod clarum ueteri præfers ab origine nomen,
Si tamen Anselmis sunt propria ulla tuis.
Tantarum merita haud fuerint præconia laudum,
Quis non frustra hominum multus in ora uenis.
Sed, quod cœlicolas positis altaribus auges,
Et subitam abs te ægri gratiam, opemq; ferunt.
Certe animi dotes hæ casti, hæc gloria uera est,
Et cœli rarum qua patet orbis opus.

IN BOREAM.

Fœnerat, & gibber Borea est, nil rectius usq;,
Altero ubi careat, non, puto, rectus erit.

TVMVLVS BARTHOLOMÆI ANSELMI MEDICI PATRVI.

Terram tange Viator. & sacratum
Ne teras pede puluerem profano,
Et sit pax tibi longa cum sepultis.
Hic est Pæonias professus artes
Insignis Ptolemæus, inclytoq;
Anselmo memorabilis parente,

Qui orco non semel inuidente fracta
Fila restituit trium sororum.
Huic quæ deinde Senecta post peractas
Ter decem Trieteridas cecidit.
Quod, si qua est pietas relicta terris,
Vdis hinc oculis abi Viator.

AD VENEREM.

Terribilem cristis galeam, & thoracas ahenos,
Atq; hastam, & clypeum cur Cythera a geris?
Dedecet imbelles tractare ferocia dextras
Prœlia, sint cordi nuptiæ, Amorq; tuo.
VE. *Non sitis hoc belli, aut cædis malesuada libido,*
Sed iuuat obliti me induere arma dei.
Scilicet hic tela inueniens, placitamq; Cytheren,
Nunq̃ erit illi in me non bene certa quies.

IN LVPERCVM.

Noli Luperce conqueri precor, si te
Sæpe immerentem morsibus sequor, nulla
Iniuria (quod ipse ais) lacessitus.
Nempe hoc negare, quantum opinor, haud possum
Sed uerba magna quæ tibi uolant tuto,
Et lingua cognitissima omnibus neq̃,

Quæ carpis horum uitam, & horum, & illorum.
Faciunt ut arma habeam parata. si quando
In me malus te forte concitet Damon.
Nam, si unquam erit, quod hiscere audeas, duris
Tua habere rem cum dentibus sciat pellis.

AD MARIANVM.

Quid mirare animo, mihi si qua machaonis ars est,
Pulchraq; per colles Aonas astra sequor.
Sunt generis species, occultaq; semina rerum,
Sæpe suam in nobis quærit origo uicem.
Te furta, ac fugam auitam, & scorta, patrisq; popinas,
Opprobria, ebrietatem, aleam, adulteria.
Decoctum ingluuie patrimonium, & empta profano
Fana auro, & prostantem exiguo ære domum,
Fas tibi sit Mariane sequi, positosq; sub hasta
Vos bipedes mensæ, teq; grabate tripes.
Prodita quid referam domini secreta potentis,
Immodica leuitate, & meritum exilium?
Sunt generis species, occultaq; semina rerum,
Sæpe suam in nobis quærit origo uicem.

AD VENVSILLAM.

Quisnam dic Venusilla, quis deorum
Post suspiria amara, post querelas

Amorisq; hyemes laboriosi
Optauit bona, tot bona, ut pusillus
Aeneas mihi luderet per aulam,
Ambos qui simili referret ore,
Firmum uinculum Amoris? an ne me ceu
Sarmatamue, Getamue, comparatum
Istis compedibus putasti habendum?
Me captum ó Venusilla solo ocello,
Viuis denicp nunc ligas cathenis.

AD BARBARAM.

Sis licet Ausonio nata impia Barbara cœlo,
Hac feritate tamen Barbara uita mea es.
Nimirum formæ lis magna, & moribus istis,
Nomini item & formæ lis alia, atcp alia.
Mitius at si ita agas mecum, lis tanta quiescet,
Sis formosa mihi, Barbara tantum aliis.

ERIDANO.

Quo te annium uersu supreme rex uocem?
Rerum parenti quem Thetis,
Fronte aurea, aureis uerendum cornibus,
Atcp aureis humeris dedit.
Hyemes superbo qui impetu septemfluas
Longo remittis Adriæ.

Nereus cui cedit tamen, nec conquinat
  Amara Doris alueum.
Quales biantes Euri, & alæ fulminis
  Latum repellunt aëra.
Audi, tremendum seu Oriona abluis
  Conuexa dum rigas noti,
Stellis coruscos undiq; explicans sinus
  Seu Lauri odora uolueris
Nemora inter, illic Solem ubi aureum uident,
  Micantiumq; siderum
Iubar, loquuti digna uates Cynthio,
  Solem extra, & annorum uias.
Seu rura stringens pinguia, antiquos lauis
  Muros potentium Vrbium.
Vel mille nostra si excitentur uocibus
  Intrata Phœbo uiscera.
Tuis recensendis minor præconiis,
  O maxime optime amnium.
Seruator orbis, ò cui debent sola'
  Hiulca sæuo incendio.
Tunc tortuosum condidit Genus caput,
  Fluctusq; Tharrus turbidos.
Erransq; longis flexibus Vagantia.
  Torsit Monæa tramites,
Pressitq; Trita cursum, & amnes lubricus
  Circumfluentes Cingulus.

Senexq; Sostyron, loquaxq; Nicia.
Et alii adeo, quos Tethyos
Genitor perenni misit Oceanus freto,
Graui uapore percitt.
Nam quid nemora, quid inferi Iouis lacus,
Tostisq; rinnyas comis?
Quid destitutam sutilem dicam ratem
Pigro paludis alueo?
Cum bile noctis arbiter furens noua
Furias agebat in deos.
Ni fluminis magni prece æterna deæ
Superbo ab incœpto nocent.,
Incendio graui ruinam ne adderet,
Ac pessimum sceleri scelus
Vnius ob noxam, adeo & infelix puer
Curru regendo uix patri
Sæclis minatus ultima, inuisa hactenus
Monstrabatætheri procul
Casura pallidum ilico in cinerem iuga.
Ni ter quaterq; clamitans
Praxilla patrem de cauo eliciat specu
Ardentis orbis nesciunt.
Qui pumice antra descrens pendentiq
Ternis leuauit cornibus
Late coruscum fluctibus caput.
Caput quod Heliades quidem

Velant honorum, humerisq; pura defluunt
 Electra passim lucidis.
Vulcaniam quamuis anhelant pestem equi,
 Glomerantq; fumum naribus.
Circumspicit nihilominus, flammantiaq;
 Huc uoluit, atq; huc, lumina.
Ac fata secum sera computat senex,
 Tergoq; pallam reiicit
Hyali coloribus ebriam, quam neuerat
 Parens futuri conscia.
Intextus illic aureis in curribus
 Vix lora continet puer.
Flamma undiq; atrox, undiq; atrox fulminis
 Dispersus impetus furit.
Parte altera, astra maximum mundi decus
 Probant, dehinc cana Cycnus
Sparsus coma, & fletus canori gutturis.
 Musco deinde cernere est
Phaëthontiadas auctas amaræ corticis.
 Medioq; fossum in pectore
Flumen, facesq; nuptiales cœlibi
 Ardere regi, hinc edita
Brixilla luci, mole quæ Cyclopea
 Æquabat astris mœnia,
Casura fatis haud semel. mox prœlia
 Pugnata passim ex ordine.

Tendebat hic Otho propinqua pallidus
  Iam morte, litora hic cauis
Stant turribus, nec pontium absunt semitæ.
  It subter amnis discolor
Tabo, uirorumq; artubus troncis latet,
  Galeis gemens inanibus.
Illic potens insultat armis barbarus
  Ab orbe uectus altero.
Hastas ministrat ripa lata rasiles
  Gnarumq; pugnæ militem.
Nos concito Mauors premit curru, & retro
  Plebs uersa iam sentit deos.
At flumen hinc dolore, gaudio hinc, sui
  Vix sat memor, laxat sinum
Flammisq; torridis perustos margines
  Vrna rigabat aurea.
Verum imminentis certior periculi
  Moles aquarum concitat.
Septenaq; amnium reuellens hostia
  Inuitat udo protinus
Gremio sonipedes, cælitum fragoribus
  Quassos, nepotemq; improba
Tam mente deiectum, iugoq; patrio,
  Magnis ut ausis qui excidit.
Conatibus neq; obstat aliter ultimis
  Vapori, ætherei calor.

Cyanea quam concurrere alta Bosphorus
Fretis uetat furentibus.
Sed tu amnis aurifer, pater, rexq; omnium
O septiformis amnium.
Quocunq; diues fonte te tenet lacus,
Nostra miserantem incommoda.
Quocunq; prodis è solo pulcherrimus,
Quocunq; gaudes nomine,
Rituq;, ades, quacunq; sanctior plaga,
Triformem oberrans machinam.
Tot portubus fœtus, tot agrorum pater,
Pleno potens ab aggere, Ex
Audi pias tot supplicum uoces precor,
Tuosq; fe lix protege.

DE PAVLO COLLA EQ. HIEROSOLYMITANO.

Pectora letali ut sensit populata sagitta
Colla labans tanto uulnere, & exanimis.
Hostilemq; suo fractam Mauorte triremem,
Et seruatum acies per medias Clypeum.
Quæ mihi lux (inquit) uitam dedit, hæc eadem aufert,
Non tamen auferri gloria morte potest.
Quanquam me istius fati nil pœnitet, An non
Incipit hic nasci, tam bene qui moritur?

AD PVELLAS.

Quid nos, ò mea Mæuia, ò mea Aura,
Auro dulcior Aura, cariorq́;.
Quid ò Chrysia & ipsa item mea, & quid
His Maii facitis domi Calendis?
Nunquid non bene uos ualetis, & uos?
Num quæ suspitio ex amore uestro est?
Plenæ omnes querimoniarum ut estis.
Ah recti, ah fidei puellæ inanes,
Non partem hinc tenet hæc, uel hæc, uel illa,
Plus ego haud amo Mæuiam, neq; Auram,
Nec plus Chrysiam item. sed hæc & hæc &
Aeque hæc, & me habet, & meos amores.

DE HYPSIPYLE.

Arserat in miseros nox intempesta maritos,
Vltima nox cunctis penè futura uiris.
Cum pia per stantes tacita formidine cistas
Effœtum traxit Lennias urbe patrem.
Dumq́; illum lacrimans alno mandaret inermũ,
Vos ait ò uiridis dira elementa sali
In quascunq; placet, genitorem abducite terras,
Et moriar, salua dum pietate cadam.

IN GALBAM.

Pumillus ille, mente quod constat parum,
Id salsum, & urbanum putat.
Ineptit, orba seu salutis aleam
Nati flet unici parens.
Seu signat ultimas tabellas filiis.
Infantibus moriens pater.
Ineptit inguinum liguritor tamen,
Indignus etiam hoc nomine.
Seu uictima Mystes facit, seu ritibus
Verpos obarmat annuis.
Ineptit usq;, & usq;quaq;, & undiq;,
Non alius ut furiat magis.
Nec temporis reuerentia ulla, nec loci,
Nec numinum hunc tangit pudor.
Quare ebriose, & impudice, & aleo,
Et siquid est probrosius.
Iam parce agedum ineptire, quippe ineptiis
Nil est tuis ineptius.
Quod, si negaris hoc mihi, ad cœnam tuum
Frustra uocabis Albium.

EPITAPH. PAVLÆ ANSELMÆ.

Hoc fas, atq; pium, tegitur quo Paula, sepulchro,
Optatæ posuit filiæ uterq; parens.

IN IMAGINEM SALIAE.

Dum Saliæ lustrat diuina Canobius ora,
Atq; lutum in uultus format inane deæ.
Continuo noua lux oculos caligine texit,
Hæsit & attoniti mensq;, manusq; uiri.
Interea sponte & frontem simulauit honoram,
Finxit & insignes terra beata genas.
Non noua res docti si fecit amica C nobi
Terra deam, hæc eadem numina prima tulit.

IOVI ET DIIS OMNIBVS.

Maxime optime Iuppiterq;, uosq;
Omnes Diiq;, Deæq;, quis agello
Sedem ex paupere dico, dedicoq;,
Et solennia rite sacra, & aras.
Hac re, legeq;, dico, dedicoq;,
Quæ dixi monumenta, sacra, & aras.
Vti uos mihi, coniugiq;, sitis
Boni munificiq;, dapsilesq;,
Libertisq;, domoq;, liberisq;,
Colonisq; meis, Coloniæq;.
Decem in fronte pedes, decemq; in Agrum.

II

AD CIRIM.

Febre negas, raro exemplo, correpta, tenacem
Ne uideare fidem soluere, uelle mori.
Hanc facile est etenim ne soluas, uelle perire,
At Ciri ut serues uiuere, difficile est.

AD MELISSAM.

Odisti ne me amare, me melissa?
Qui te tantum amo, quantum amat, colitq;
Virginilla leues quadrima pupas.
Sed quam depereo misellus, & quæ
Mihi, & quæ nam age cara? quæné curæ est?
Quæ uitatq;, fugitq; me, Solisq;
Me peius, Solymisq;, Syngarisq;,
Si quid barbariusq;, inertiusq; est,
Quid si hanc non fugere, aut pati queamus?
Dii boni, ut facile haud potest reuelli
Quod sensu semel intimo est receptum.

IN OPERA ASCANII BOTTAE.

Attigit & liuor diuum præcordia, nam Mars
Dum Mantuanum iactat Orpheum sibi,

Non tulit hanc iniuriam Amor, neq; passus inerti est
Sua facta somno, obliuioneq; opprimi.
Protinus Aonium strinxit sine more poetam,
Iussitq; Virginum sonare prœlia.
Sat laus hæc fuerit paruæ mandasse papyro,
Paruis quæ Amor manibus, & ipse luserit.

AD TRYPHAENAM.

Tryphæna Phœnix unice, & spes unica
Morientis animæ, sola perfida, & nocens
Quæ neq;, multarumq; quod fuit tenes.
Quando labella, illa ab labella mordicus
Ceruice pendulus miser de lactea,
Labella Cerasis æmula & Cypriis rosis,
Premam, & tenebo, & osculabor centies?
Exuggam, & illam quando languens lingulam
Citam, micantem, flammeam, uolubilem?
Et uerba sorbebo illa, dulcemq; halitum
Inuadam anhelus oris, ac uocem bibam?
Quam uocem & haurire auribus semper meis,
Haurire & animam mihi per aures hanc uelim,
Ò digna cœlitum dare ambrosiam patri.
Quando comas, & delicatulas manus,
Frontem, & genas, & pætulos ocellulos,
Amplexu inhærens basiem quinquagies,

Et centies.

Et centies, tricenties, & milies?
Ò mi beatam, & omnibus notis diem
Petitam, ó additam meæ uitæ diem,
Tryphæna qua te, qua fruar, qua comprimam
Totis medullis, mente tota, ac spiritu.
Tryphæna phœnix unice, Hyblæum fauum,
Columbule albe, turturille candide
Ne spreueris me, ne ue me nihil putes
Vltro tibi quod porrigo supplex manus,
Quem plurimi Marylla pendit, & procis
Diu petita ditibus Busætia.
Succurre quæso, subueni, quantumlibet
Breuis mora est amantibus longissima.

IN MATREM LACÆNAM

Vt bello agnouit natum Spartana relicto
Iam sibi degeneri consuluisse fuga.
Irruit, & gladio trepidum per pectus adacto,
Semianimem increpitans talibus alloquitur.
Non peperi, ut pererem talem, te te eripe uitæ,
Vt natus, nolens ut Lacedæmonius.

AD PEPLIN.

Pepli o quid totiens me miserum enecas
Tantorum immemor ignium,

Per longas amor hic dum trahitur moras
  Causando, ambigua fide?
Non candor faciei semper erit micans,
  Qualis luna oriens solet.
Nec semper niueis purpureus genis
  Ibit circulus, ut uenit
Cum primum bicolor de calathis rosa.
  Nam te deterior manet
Ætas, & dubio olim senium gradu.
  Quo, carum hoc speculi iubar,
Quod totam gremio saua foues diem,
  Franges mille furens modis.
Tunc te duriciæ pœniteat tuæ,
  Nam mille inuicem anus tibi, &
Malis deciduam mille modis cutem
  Vltor protinus ingeret.

DE LEANDRO ET HERO.

Hæc freta Abydenus nabat puer, hoc uaga litus
  Lustrabat celsa Sestias è specula.
Hac caliganti fulgebat turre Lucerna,
  Nanq; hoc uenturo per mare sidus erat.
Hæc quoq; & iratos uentis crudelibus, unà
  Nunc congesta tegit litore arena nocens.

DE ELISSA.

Aurea ledæo formosior ansere Elissa
Visa deæ ut Veneri est,
Inuidiam sensit meruisse, etenim hanc dea raram
Effigiem obstupuit.
Quippe sui oblitæ, subito cecidere soluta
Cingula de manibus.
Sumpsit Virgo, omnisq; illi, ut superata Dione est,
Conciliatur Amor.

EPITAPHIVM CATILINAE ANSELMÆ.

Quanquam atauosq;, patremq;, uirumq; ex ordine equestri,
Ingentem & rerum copiam utrinque feres.
Cessisti fatis tamen ipsa nocentibus, atra
Nec tantum quondam mors uerita inuidiæ est.
Strauerit attritos artus, effœtaq; membra,
Det modo uicturis moribus illa locum.

IN THALIAM.

Græcia tres charites fallax mentita, Thaliæ
In se habet alteruter mille oculus Charites.

EPITAPHIVM HERMOLAI.

Nominis & quænam nostri dispendia? surgit
Aggere si tellus exigua Hermoleo.
Has miscere nefas animas popularibus umbris,
Omnis enim tumulus Roma sit Hermoleo.

AD AMARYLLIDA.

Natali mihi quæ meo dedisti,
Clarum Reticulum arte, clarum & auro.
Et Sudaria Ibera, Celtiberaq;—
Electra, ac Tyrias simul coruscis
Illusas animalibus Tiaras.
Dentiscalpia & aurea, aureamq;
Torquem & pondere, nobilem & labore.
Caris quod mihi cariora ocellis
His te ego o Amarylli cara dono.
At diuersicolore uase flores
Quos fuluæ Hesperidum dedere siluæ
Acetaria sumptuosiora,
Et percussa ab auo moneta rege,
Illa & ueridica in tabella imago
Amori mera causa sæuiendi,
Quæ me surripuit mihi, illa amore
Quæ me deniq; cogit emoriri.

Quod caris quoque cariora ocellis,
Et si quae mihi cariora ocellis,
Sunto mutui amoris, & perennis
Caris pignora cariora ocellis.
Natali mihi quae meo dedisti.

DE MACTIA.

Cur Mactia es Lupa tam palam? Matri obstetrix
Num fida contigit tua?

AD MELIBOEAM.

Mellitos Meliboea oculos dum suauior istos,
Labitur occultus dura per ossa calor.
Verum ubi te nostris labiis sitientibus aufers,
Heu glacie obsessus dirigeo, ac morior.
Qualiscunque anceps uarios rotet alea amantes,
Et quae sunt nobis dulcia, acerbet Amor.
Gratius est uri, quid enim graue amantibus uri est?
Suauia dum saepe his surripiam ex oculis.

AD PYRAMVM PEPVLVM.

Antiqua Codri Pyrame inclyti proles
Quem patria exulem à domo,

Nec regna auita, nec trophæa maiorum,
　Nec mentis Aonius calor
Reddunt paternis sedibus, neq; infracti
　Virtus parentis, & fauor.
Heu quo uetustæ, quo, domus tot illustres
　Victoriæ? quo gentibus
Iuga efferis imposita? quo subactæ urbes?
　Et nationes exteræ?
Excelsa toto & innocentium fratrum
　Dispersa mundo nomina?
O gloriæ Fortuna carnifex, quales,
　Quales tibi ludos facis.

EPITAPHIVM .M. SILVII OTHONIS

Parceret ut bellis olim ciuilibus, ingens
　Ipse manu in semet uertit Otho exitium.
Qui procul hic condi patriis disiunctus ab oris
　In Brixellana maluit exul humo.
Vrbs licet, & busta, his lateant immersa ruinis,
　Cæsaris æterni nomina utrunq; dabunt.

AD ANTONIVM BERNERIVM

Te sæua regum sceptra minacium
　Dum mente semper magna mones, iuuant,

Sellaſq; dum partoſq; faſces,
Et querulos numeras clientes.
Cur rore obuncti non Arabo comas
Potamus acres? ſex cyathos ego
Potabo ſpumantes Lycinæ,
Ipſe tuam totidem Neæram
Sanus bibes. pelle ex animo truces
Curas, ſuperbiſq; eripe regibus
Iam temet, inſtanteſq; rugas
Solue mero, faciliq; menſa.
Qualis ſerenus poſt pluuias dies
Vultu repellens nubila candido,
Or[?]alle uentoſum, aut ſupina
Arua aperit uiridis Calerni.
Non cuncta nobis barbaricus furor
Inuaſit, & ſunt, ſunt mihi auorum adhuc
Occulta cellis Sentiana,
Dulce quibus titubare amico eſt.
Neſcire præſtat, nunc ſibi cogitet
Valde ſonantis quid domina æquoris,
Et continenti iam relicto
Quid mediis meditetur undis.
Quid refricamus uulnera peſſimi?
Quid noſtra dementes mala, pro dolor
Fruſtra recenſemus? ſat una
Heſperiæ miſeri ruina.

Ni sicci, & ipsum bile iecur graui
Rodanus agrum, scilicet anxii
Quid crastini soles minentur,
Dum cupimus meliora nobis.
Quid sit futurum scire homini nefas,
Dii nos tuentur, quod cuiq; expedit,
Quod commodum Antoni, benigna
Dii faciles tribuere dextra.

TVMVLVS ANNÆ.

Quæ iacet hic? Anna. An ne etiam Veneresq;, iocosq;,
Et Charites secum, mundiciasq; tegit?
Vnà & Amorem, una & risus, quos heu miseri Anna
Extincta, extinxit Parca nefasta hodie.
Candida subiiciat rosa se, nascatur Amomum,
Vestiat & cineres spica Syrisca pios.

AD PYRAMVM PEPVLVM

Pyrame populeo posuisti in litore Amorem,
Hunc ne ignem extingui flumine posse putas?

IN QVINTILIANVM

Cum sæpe optares, ut Quintiliane ualerem,
Mirabar, uerbum & me ambiguum hoc latuit.

Inuide, nam neq; amas nos, optas nam neq; saluos,
Ergo tu potius Quintiliane uale.

DE MARCO CATONE VTICEN.

Cessisse ut hostem Cæsari sensit Cato,
Versumq; Pompeium in fugam.
Vicisti ait, sed uiceris, nulli Cato
Nisi Catoni seruiet.
Sanctumq; pectus libera fodit manu,
Ingentis animæ prodigus.
Plus abstulisse an Cæsari est ne parceret,
Mori an Catonem liberum?

AD PEPLIDA.

Tanta tuæ est formæ species, præstantia, honosq;,
Tantaq; tam pulchris gratia inest oculis.
Vt, te si spectem mea Pepli licentius, omnem
Præripias pulchris mentem, animumq;, oculis.
At rari tanta, ac tam ingens reuerentia honesti,
Tantum, & tam casti iudicium ingenii.
Vt tacitus mecum recolens, stupefactus inertem
Protinus exanimis dirigeam in silicem.

DE ANTONIO BALIO.

Antonius reprensus ille Musarum
Cultor beatus, ille candidus Vates,
Quod non sua olim diceret suo in uersu,
Dispereat (inquit) nostra qui ante nos dixit.

IN OLLVM.

Æquatis bombice humeris, atq; ilibus Ollum,
Pernegat esse audax Delia bellum hominem.
At qui est bellus homo, & mentitur Delia, non ne
Quod minimum bonus est, hoc quoq; bellus homo est?

IN MENIPPVM.

Meus Menippum, ut taceat, Aulus obsecrat,
Ala Cicadam Aulus tenet.

HERCVLI.

Herculem inuictum canimus, profani
O procul uos, ó procul este ab ara,
Nempe nix unis patet obserata
Ianua Musis.

Huc ades dux Aonidum Sororum,
Siue Iardane tenet audientem,
Siue fons blandis Heliconis oris
Bellerophontis.
Iam comas uelat bicolore fronde
Populus magni Herculis, & capacem
Occupat dextram scyphus immolantis
Supplice cultu.
Trima da large mihi Sentiana,
Et metus cedat, dolor, atq; rixa,
Masculi profer puer huc Eoas
Turis Acerras.
Nam satis nobis patriis agellis,
Additum aut siquid patriis agellis.
Opto nec fundos operosiores,
Diuitias ue.
Salue io proles Iouis, addite æter-
Nis decus diuis, inopem ad senectam
Da bonam mentem colere, & remissis
Ocia curis.

Finis.

GEORGII ANSELMI NEPOTIS EPIGRAMMATON AD PASCASIVM BELLIARDVM LIBER TERTIVS.

Vdas, inanes, futtiles, & insuaues
Tibi Belliarde dedicauimus Musas.
(Vsq; caue nam tute gentium his credas
Vanissimis quicq; esse uanius musis).
Quibus in te amorem nosceres meum, & mentem
Ex hoc amares tu quoq; inuicem nostram,
Tuisq; misceres meum libris nomen.
Ne gramen Anthedonium foret, né ue
Mei; mihi exoptanda Thessalis rebus.
Senecta ne me premeret, ac meo ne essem
Non funeri superstes, atra post fata
Doctas uolarem & uiuus ad uirorum aures.
At tu nihil in his (qui probus es, & humanus,
Et optimus rerum aestimator, & iudex)
Subesse cogitabis amplius chartis
Quam simplices lusus, & illaboratos.
Quare absit á nobis malignus interpres,
Nec exigat nodum, aut requirat in scirpo.

IN VIRGILII AENEIDA.

Dic mihi Calliope cuium est opus, anne Sororum?
Non, uerum hoc Siren Mantuæ alumna dedit
Qui labor? Ingentem ruit alto à culmine Troiam
Exiguus tanta est nil nisi flamma cinis.
Felix semper opus, sternis dum Pergama cantu,
Erectas urbes concutis inuidia.

AD MEGILLAM.

Scytha mollior ò Megilla mure,
Ceo & uellere, Sericoq; filo,
Leuibusq; comis cuniculorum,
Meæ nequitiæ, meum cor, hem cur
Mi limis oculis, iocisq; asillum
Inmittis nascro superba Amoris?
Flauus non decor, annulisq; mille
Lucentes nitidum aurei capilli
Per os, collaq; eburnea, & per armos.
Et paruissima buccula illa, qua li
Aut Phœbi soror, aut parens Amorum
Gaudent tantum hominum necasse, sese
Dum supra saliunt, & efferuntur.
Non hoc frons pia pollicetur, & uox
Illa flexanima, illa mollicella,

Quam dicacula, quam uenusta, dura
Quæ me compede, ceu Syrum, Getam ue,
Heu primis cohibent ligatum ab annis
Falsum sæpius ore tam uafello.
Quare uel mihi corculum remitte
Iam non ulterius tuum, uel igne
Nunc nunc incipe mutuo peruri.

IN SILVAM DE SOLIS TRIVMPHO GEORGII ANSELMI AVI.

Innumeras terris, cœloq; nouemplice noctes,
Qui posuit, mensus Fata, Elementa, Homines.
Quadriiugos axes trepido stimulatus ab œstro,
Martia Apollineos tollit in astra tuba,
Vicerit hoc uno humanos tua Phœbe calores
Testudo, in reliquis dum fateare parem.

EPI. L. GABRIELIS SALINATORIS.

Quicumq; es, hoc ne spreueris, reus uoti
Adire sacris marmor, unda Libethris
Muta ubi, ubi Delphides metunt comam Lauri
Oenotria ignaræ bene loquier lingua.

Nam Lucii sacer quiescit hic puluis
Qui cum sal, & lepos, uenusq; Pimplæa,
Caliginosam mortis induit nubem.

AD FRANC. CARPESANVM.

Funere, quod patruo meritæ præconia laudis
Persoluis, nostræ munere amicitiæ.
Quod resides memoras atauos, quod stemmata longo
Ordine, & Anselmos mittis in astra meos.
Non tamen iis (& si iis quoq;) tantum debeo, quam quod
Romanæ accedas altera fama togæ.

DE ARCHAGATHO.

Vnum amat Archagathus semet, felix in amore,
Vnus riualem non habet Archagathus.

AD PAMPHILAM.

Cara Pamphila, quando te uidebo?
Quando pectora, colla plumea, illa
Quando roscida labra suauiabor?
Cunctis candidior diebus ò lux.
Vel si nox mihi tam beata fiat,
Cunctis candidior diebus ò nox.

DE ELISSÆ AMORE.

Aurato uellens rutilum de uertice crinem,
Vt capti in bello uinxit Elissa manus.
Facta diu texi, facile ut qui absoluere palmis
Sperarem ambrosiæ tenuia uincla comæ.
Dum frustra quatio, atq; arctos effringere nodos
Molior, æratis stringor ut in manicis.
Semianimis crine ab nitidæ nunc pendeo Elissæ,
Quaq; trahit pendentem, hac ego parte sequor.

DIANÆ.

Diua saltuum, grauis
Quam Deliæ quondam parens oliuæ
Credidit, uirentium
O montium dea, ò dea & uiarum,
Obstetrix piissima,
Nascentium dux, Luna, seu Diana,
Seu triformis, anxiis
Lucina partubus uocata, fratri
Aemulum iubar tuo.
Non Carpathi pastor maris figuras
Entheus tot induit.
Tu tela Cnosia, ac grauem pharetram
Tu choros

Tu choros uirginum
Chitonia urges magna, non acutis
Parcis ictibus, sciens
Arcus, tuas non capreæ sequaces,
Non fera effugit manus.
Nam quid Cleonæum loquar leonem?
Teq; ualle concidens
Olim sacrata, sæuientibus cru-
Deliter, Coraceq;,
Charonteq;, Harpyiaq;, Lycitaq;?
Quid silex adhuc manes
Quæ lacrimis uda, hostibus quoq; horror?
Impotentis Oeneos,
An stragem? an ictum te leui sagitta
Impudentioribus
Ausis Orion? An domo receptam
Virginem, & patri, noua
Salute, de sacri alea tacebo?
Incolis ne mœnia
Num plena ego Lunaribus? poli ne
Sceptra ego potentia
In dicta linquam? Celsa tu citatis
Bob us astra permeas.
Te credulæ senes, & ociosa
Præsidem colit deam
Cohors amantum, te colit uoluptas.

Quassat æra tinnula
    Late tibi, boue & tibi Canopus
En facit. Canis tibi
    Libat Sabæus exta, libat Henius,
Datq; Cerua sanguinem
    Hoc uirgini ipse uirginum sacerdos
Tu sinus fluentium
    Collecta nodo uestium, genuq;
Nuda, dans procacibus
    Auris comam ferre auream, & cothurnis
Altius rubris, tuo
    Argenteas euincta more suras.
Qualis ipsa dum choros
    Eurotæ ad amnes, siue culta Cynthi
Ducis ad tui iuga.
    Quam mille & hinc secutæ, & inde tendunt
In globos Oreades.
    Adsis pia huc utcunq; Delia, adsis
Dextra te uocantibus,
    Mortalibus ferens salubre lumen,
Rite te precantibus.
    Canant Olores, populiq; longe
Sic ferant cacumina
    Intonsa semper, portuum patrona.
Et tui patrona ades
    Huc Sentiani, sospitesq; gentem

Hostibus ferox, quate
Et hos minis, & hos manu Diana.

AD TERINEM.

Ne me, ah ne Therine, ah ne me amare, ne me
Nolis, si quid inest boni in te, & æqui.
Per te, per niuea illa colla, perq;
Qui talem peperere te parentes.
Ne pætos me oculos sitire, ne illud
Mellitos ueta Elenchulos, labellum,
Cordis deliquium miselli, & errorem.—
Ah ne me aureolas diu papillas,
Me libra tuum & ære, pertinaci
Manu incessere, morsiunculisq;,
Per si, ó si quid habes puella amoris.
(Nanq; plurimum amare te necesse est
Venustam, ingenuamq;, consecutam
Tam rari numeros decoris omnes.)
Ni tu me magis in dies, in horas,
Malis sollicitudine emoriri.
Quod si uis Therine, libetq; amantem
Tam magno mori amore, quin tua heheu,
In natum Phanomeris ut Lacæna
Ferrum ipsa in iugulum manu recondis?
Mi hoc, mea est animilla, uita, mi uotum

Vt me sic quoque ne perire nolis.

DE SE IPSO.

Quem non hostiles debellauere phalanges,
Nunc intestino languidus hoste premor.
Quin eat in pectus prius hoc, Aedapsius ensis,
Hoste uelut, pulsa Febre, perire iuuat.

AD LYDEN.

Nunc Sentianis promere de cadis
Lyde licet te nectar amabile,
Regno Brigantum quod, ferisque
Hactenus Allobrogum ab Tyrannis
Vix obstinata claue reconditum
Seruauimus, discrimine cum graui,
Metuq; solertiq; cura.
Itala dum premit arua Gallus.
Deiecta cerno, cerno ego perfida
Dura latronum cuspide pectora,
Passimq; pressas insolentes
Agminis Hesperii cateruas.
Quis exinanisse Insubrum, & additas
Vrbes niuosis non satis alpibus,
Ausi Palatinas & arces

Concipere, ausi & opes supremi
Sperare regis. nil adeo sibi
Non arrogarit barbarus impetus
Conatibus Fortuna si quid
Læta prioribus obsequatur.
Hinc iusta Clemens prœlia pontifex
Molitur ingens, & Latium, nouo
Turpes abactorum rapinas
Vendicat, arma mouens, tumultu.
Huc tibiæ cum multiloquæ sono
Adsit Cupido, & dulce nitens Venus,
Chorisq; mixtæ Gratiarum
Quæ ter humum feriant uirentem
Adsint petulcis cum pueris nurus.
Quanq̃ deorum cura prior, deis
Accepta magnis, omne nostra
Commoda sunt referenda in æuum.
Mortalibus si quid cecidit male
Præterq; spem, sunt cuncta tamen bonam
In partem habenda, & maximorum
Consilio tribuenda diuum.
Hos mane poti, hos luce palam, Lyra,
Et ture sicci, non sine uictimis
Placemus, hos proni precemur,
Et positis ueneremur aris.

AD FRANC. MARIVM GRAPALDVM.

Multa tuis Venus in scriptis clarissime Vates,
 Agnoscuntq; suum sæcula longa Sophos,
Atq; omnes super una nouos tua Buccina cantus
 Explicat, & toto est celsius orbe nihil.
Iulius hinc Myrtum, atq; Hederam, Laurumq; merenti
 Et dedit, & uultus ferre nomisma sui.
Nec sat erat Latio uatios pepulisse Brigantas,
 Sic nisi promereat, qui benefacta canunt.

AD THEODORAM.

Amabó Theodora dic, potentis
 Sic Heræ, rogo, senectas in aula
 Immunem uideat minarum, & iræ.
 Nec curam exhibeat negocium ue,
 Ne ue te afficiat labore quisq;.
 Dum fronti nigra candidæ, & capillo
 Prætendis Caliendra subligato,
 Num te fulmina ferre, num te & illum
 Est ferre intuitum, unde fax, & unde
 Amori noua tela sæuienti?
 Tu felix Theodora, tu beata,
 Istud si dominæ, deæq; nostræ.
 Non times prope, quó procul perimus.

AD LVCRETIAM ANSELMAM.

Quod forma Venerem ingenua, cognominem & ipsam
Scilicet excellis quod probitate tuam.
Accedis nostris clarum per sæcula nomen,
Sola uirum ne sit spesq;, decusq; domus.

AD SYENEM.

Ruris beati qualis acer accola,
Qui mentis arbiter suæ.
Vel curat armenta, & greges, uel uitibus
Vlmum maritat cœlibem.
Si sulcet æquor insolens, & cypriæ
Clauum carinæ temperet.
Prò pallida ut te Iuppiter uocet prece,
Cunctosq; uexet cœlites.
Tyrrhena nudus ne natet per æquora
Ludibrium irati maris
Quem si quis aruo ponat in patrio deus,
Rursusq; auito sub lare.
Quam Sentianæ iuuerint Vindemiæ,
Certantia & rosis pira.
Ne belluosum sæuientibus salum,
Aquilonibus metuat miser.
Sic o Syene & ipse me prioribus!
Coniungi amoribus uelim.

Quæ uisa regno sæua sub Cloes mihi,
Infanda, dura, & aspera.
Crudelis illa, ipsa illa pridem dulcia
Præ nausea arbitror tua
Qua sedulum nimirum amantem despicis,
Nec cura te tangit mei.
Quod, mutua te torreat si Amor face,
Mea metiens Amor mala.
Cedam paternis laribus, & Thuscum rate
Tentabo tutus Nerea.
Nec Sentiana notior sub arbuto
Vel fontis ad caput sopor
Loquacibus nec Mardus undis defluens
Per prata, me teneat magis.
Optem procellis addere infirmum latus,
Hyemesq; longas perpeti.
Optem superbus transilire nauita
Insanientem Bosphorum.
Et te per æquoris uolubiles sequi
Tempestuosi uortices.
Me siue Castor, siue Castoris soror
Quocunq; sub cœlo uehat.
Non peruicaci Africi franget furor,
Non inquietus Adria.
Dum tu te amicum fulgeas sidus mihi,
Tutos & in portus uoces.

DE ARISTOMENE.

Terga ut Aristomeni fusos dare uidit Enyô,
Debemur clamans Mars ait his manibus.

IN SERIPHVM.

Versus & inuersos Seriphe, & insuaues
Facis, quod est tibi nec arca, nec seruus.
Sed læsa Læna, calceusq́; pertusus,
Cantore dispoliatior Celenæo,
Duraq́; latrat improbus fame uenter.
Vt ille uersus usquequaq; non mendax,
Pauper Pöeta nescit antra musarum.

VIAROLLVM RVS.

Quisquis in arua uenis pulchræ uicina Cremonæ,
Ecce tibi post sex millia ab urbe quies.
Rustica fœcundos aperit Viarolla recessus,
Pomaq́; dat, pomis concolor ipsa suis.
Hanc quoq; uicini nimbosa ad litora Tharri
Autunno peperit Melis amata seni.
Pomiferæ ne temne hospes pia munera Nymphæ,
Est aliquid de te promeruisse deam.

AD LYCINAM.

Dic quæso decima ô Lycina Musa
Quæ me compede tam diu coherces,
Nunquid debeam & usq;, & usq;, & usq;,
Torqueri, cruciari, aduri, amando?
Nam mœrore macesco macerorq;,
Tabesco & miser, atq; consenesco,
Nulla dum saties mei doloris
Tangit, nec miseret, pudet ue mortis.
Nunquid est spei adhuc salutis usq;?
Nunquid est precibus loci relictum?
Non sum iam meus ô Licina, non sum,
Quid spes ipsa tuas scelesta aduris?

IN VELINVM.

Crus, dextra, inualidũ, & manus, & mẽs læua Veline est
Omnia nimirum dextra, sinistra tibi.

AMORI.

Cognite à primis mihi numen annis
Dum uagam huc illuc agitas iuuentam,
Ferreos tentantem animos puellæ, &
Ferrea corda.

Mitte telum, mitte puer pharetram,
Rumpitur funis nimium trahendo,
ò quid ardentes subigis cruenta
Cote sagittas?
Parce natali generate Diuæ
Coniugem, & fidum face quæ maritum
Mutua accenditq;, ligatq; amico
Fœdere sensus.
Ebrius stabat Iouis ipse in hortis
Consili diues puer, & remissis
Ocio curis, placidum trahebat
Pectore somnum.
Vafra Paupertas epulis deorum
Dum cibos umbra petit in uirenti
Arsit hunc, propterq; latus cubantis
Molle quieuit.
Quod malum? quæ pessima sors secuta est?
An quiescentem modo te, puellam
Vana, dum lento recolis sopore
Lusit imago?
Ne tamen sæui moneo, coacta est,
Et tuo tandem utere iam parente,
Suasit ætas, sexus, inersq; somnus,
Tempus, & ardor.
Veste sic quandoq; & in obsoleta
Tecta nimirum generosa mens est.

Ista egens, mendicaq́;, & indiga ista
Panis, Amorem
Post decem, fastidia longa, menses
Nobilem natum pariet, rapacem
Qui premat Ditem, premat æstuosi
Æquora ponti.
Vret ignes ignibus, æthere alto,
Imperet magna ditione cœlo,
Sparget & tellus uarios eidem
Dædala flores.
Quin patrem certa superum domabit
Dextera. Durus quoq; durus in se
Ardeat sæuam cupiens Erinnyn
Ignibus atris.
Nostra ne insano careat furore
Vita, quin plantas, humerosq́; nudus
Præpes, audax, multiuolus, sagaxq́;, Ae-
Vum trahet omne.
Iam efficaci dat manum Amori, age ipsi
Parce io Vati, semel insolentem
Aureo, qui te, ut ferias, precatur,
Peplida telo.

EPITAPHIVM BOSPHORI.

Bosphorus Eridanum tenui cum lintre secaret
Strinxit amatrices Naiadas, acer Amor.

Crineq; dum iuueni certant illudere rapto,
Mergitur insolito pondere quassa ratis.
Te Phaëthontiades flerunt, facilesq; Napææ,
Fleuit & indigno funere mœsta Charis.
I, tamen, I, tandem, placidaq; in morte quiesce,
Restituit coniunx sedibus ossa suis.

AD P. CASSIVM.

Quæris tempore ego hoc uoluptuoso
Quid potissimum agam? Sed id quod æquum est
Demum, & credibile, optimo sodali
Quem tot nunc sola separant, tot amnes,
Carentem, Simul & carentem ocello
Infelicem etiam altero, puella.
Quæ nunc iure puella peierato
Cogitat nouum amorem, & esse curæ
Vsq; diis homines putemus ullos?
Ergo nec choreæ leues, nec ipsa
Iam iuuat Venus, aut secutæ & usq;
Cassi, & usq; Heliconides puellæ
Curis uescimur unicis, misello
Haud explere animum æstuantem, & una haud
Fando est tempora fallere hæc molesta.

IN EVNVM.

Dum tibi membra refers manibus formata Promethei,
Subductam & liquidis ignibus hanc animam.

Vreris assiduis male febribus, & iecur atra
Bile tibi semper, difficiliq; tumet.
Credo equidem durum tractasse Promethea cœnum,
Furatum & magnis ignibus hanc animam.

NENIA IN TRYPHAENAM.

Tryphæna nostri sæculi clarum iubar
Qualem aspicio nunc te miser?
Heu pallidam, iacentem, ocellis liuidis,
Labrisq;, prorsus alteram.
Sunt ne ora Cynthiæ æmula hæc? rubentibus
Rosis ne mista lilia?
Ô pertinax hera, ô iniqua & impotens,
Nullo quieta limite,
Superba Mors, quas non uices agis improba?
Hebeu leuem quam in puluerem
Opes cito uertis meas? Nil proprium est,
Nil gentibus non irritum.
Crudelis, I, satia, uora, dabis tamen
Tantis doloribus modum.

AD SOSYLVM.

Sit quota me sæpe hora rogas, facile hoc mihi, solis
Ad radios, nasum Sosyle si statuas.

AD OCTAVIAM ANSELMAM FILIAM.

Huc mi Octauia binnula, osculo ad me
Festina nitidoq; scituloq;.
Ne mammam, ah potius patrem pete ipsum
Quem nunc sollicitudines perurunt,
Estq; curà malis modis, dolorq;,
Et hunc balbiloquentulum os leuabit.
Te enim ut spiritum amat suum, ut suum cor,
Cincinnos rutilosq;, crispulosq;.
Tota es Vinula, tota candida ipsa es,
Mea ò uita, opulentiæq;, belle
Turturille, columbule albe, adesdum,
Nam plena satiata deinde mammia
Puluillo excipiere, dormiesq;
Non suaui sine Nenia, & susurris.

AD NAEVIAM.

Cogit Amor, licet ipse tegam mea uulnera, fari
Parce, precor, fasso crimina, pœna minor.
Ille quidem uissit quem cœlum, pontus, & astra,
Nullaq; non posito poplite terra colit.
Est uiuax, est cura mihi, quæ saucia pulset
Pectora, non dubiis cura inimica modis.

Tu facis hoc rerum pulcherrima, sola supremas
Inter sola eadem Næuia habenda deas.
Tu mihi quodcunque hoc mentis, tu corda, manusque
Surripis, & misera cogis in igne mori.
Postquam uisa semel quondam tua dulcis imago est,
Atque oculi nostris, ignea tela, oculis.
Ipse hospes, fateor, sed tu quoque es hospita, sæpe
Iungere amore animos terra aliena solet.
Non tibi sit cordi cuique te nolle placere,
Hunc mittes animum mille petita procis.
Martia uis iuuenum clausis inimica fenestris,
Subtrahet hinc precibus, subtrahet inde minis.
Aut si quem obliqua incauto spectaris ocello,
Usque neges quamuis, hic tamen usque uolet,
Claustra cadent, subitoque cadent & fortia ferri
Robora, te nullus qui tueatur, erit.
Alterius quod si uenisse in iura notarit,
Desinet astrictam sollicitare fidem.
Vel si non faciet præceps, neque temperet iras,
Et nobis aliquam sentiet esse manum.
Quanquam ego si non sim natura mitis, & usu,
Sit licet nigris fœta Tigride dextra ferox.
Ipse tamen metuam tecum consurgere in iras,
Nanque animi minimum sæpius hospes habet.
Adde quod est nullus uiduæ tibi coniugis horror,
Uxor nec iactat iurgia nocte mihi.

Tu patria

Tu patria procul, atq; parentibus, ilicet a me
Consilium accipies, accipies & opem.
Ingenium Aonides puero tribuere puellæ,
Est quoq; mens nobis feruida, sunt & opes.
Adde quod æterno celebrabere nomine, uiues
Crede mihi uiues pulchra puella diu.
Conuenit inter nos, placido succumbere amori
Ni fugis, atq; pari cuspide tacta negas.
Quam magna es ni dura neges, certe dea, certe
Si facilis fias, tu quoq; digna Ioue.
Anteit ut reliqua almi fax Hyperionis astra
Lumine, cum medium corripit igne polum.
Ipsa alias superare potes sic sola puellas,
Aspera si fias, atq; superba minus.
Sæpe tuos mores, habitum, formamq; notaui,
Et nimium ardentes in mea damna oculos.
Heu nihil in toto uidi formosius orbe,
Vna meis oculis tu mea uita places.
Fronte grauis (si forte graui placet urere uultu)
Surgit honos, gratus pallor in ore micat.
At risu ut libuit raro indulgere, labellis
Candidula in roseis ridet Acydalia.
Quid minimo referam discretos ordine dentes,
Tethyos ut uitreo candida bacca sinu.
Quid ue coram Leda, & cilia arcubus æmula Thressis
Quid, quibus exanimet lumina Iuno Iouem?

Pectora quid Parium longe uincentia marmor,
Atq; latus niueum, cruraq; digna dea?
Et dignam imperio speciem, & tardare citatos
Verba amnes, cursu nata mouere iuga.
Vtere cœlesti tandem bona Næuia forma,
Heu uolucri obrepet fessa Senecta pede.
Aspice, ueloci properent ut sidera lapsu,
Vtq; celer missos concitet annus equos.
Temporis excessu, uiridis deuoluitur ætas,
Viuidus & formæ flos cadit ante diem.
Me nemo nouit seruire fidelius uno,
Te propter cupiam terq;, quaterq; mori.
Desine uelle tamen nostræ spes unica uitæ,
Et potius serues, & miserere mei.
Non patriam antiquam malim mihi, nec mage campos
Nicia qua longo tramite silua uenit.
Me potius natum quondam te propter eandem
Aemyliæ dicant in regione uiæ.
Iam Phaëthonq;, Padusq;, meo sit multus in ore,
Multaq; Bebriaci prœlia, multus Otho.
Me iuuat in bibula tentoria pingere arena,
Et totiens iunctum ponte referre Padum.
Mœnia, quæ fortuna iubet tot uoluere casus,
Nunc æquata solo, nuncq; refecta manu,
Circunstatq; senum populus, iuuenumq; caterua,
Sermonem prona quæ bibit aure meum.

Scilicet Arctois longe crudelior ursis,
Cætera quid dicam? tu mihi uerba negas.
Interea magnum sol circumuoluitur annum,
Quod uideo, & pereo, & me malus error habet.
At tu dura manes, lacrimis nec soluis amantem,
Nec miserum tanto sæua furore leuas.
Et nostræ tamen imperium uitæq;, necisq;,
Ac ditione animos est tenuisse satis.
Tu facis hinc blandis, hinc sanas uulnera ocellis,
Mensq; mihi aspectu statq;, caditq; tuo.
Duricia peream si uestra, nil erit ultra,
Quod cumulo adiicias criminis ipsa tui.
Addetur tumulo facti quoq; litera testis,
Sæuitiam noscent postera sæcla tuam.
Hunc, præter fatum, immerito, crudelis amantem
Vesano passa est Nauia amore mori.

AD IO. MARCVM BAIARDVM.

Ambo nunc patria domo caremus,
Insontes, sine culpa, & innocentes,
Bonis omnibus ambo, amici, & ambo
Quod malæ bene sit, dolemus urbi.
Par nimis mihi, & a qua Marce sors est,
Et consanguinitate cum propinquis.
Sed certe bene ubiq; adest, & ex re

Fortunæ uarias uices ferenti
Vt sors postulat, & necessitudo.
Nam si hæc omnia eunt retrorsum, eunt ut
Vult ire impietas, furorq; uecors.
Quamq̃ haud crede deos, deumq; numen
Insonti, sine culpa, & innocenti
Vllo in tempore Marce defuturum.

DE ANCHISE.

Ascani ut è flauo uisa est lux uertice pasci,
Et trahere in longo limite stella facem.
Sic pater Anchises, oculis ad sidera uersis,
Troes ait lætus, ne trepidate uiri.
Nunq̃ eadem fortuna, loco desedit eodem,
Mœnia quæ absumpsit, mœnia flamma docet.

IN DIALOGOS DE HARMONIA GEORGII ANSELMI AVI.

Dum septena deum pater in discrimina uoces,
Grauibus acuta temperans,
Dispensat, paribusq; orbem rotat interuallis.
Dum sessitat Siren globo.
Aonidas liquidis uocat ad blanda ocia Thermis,
Cum Rossio Anselmus suo.

Quæ cœli numeros, manibusq; obnoxia nostris
Naula, ac soli obscuros modos.
Victuris mandent triplices per sæcula chartis,
Opus caue humanum hoc putes.

MOROSINVM VILLA.

Rura meis manibus, patriisq; obnoxia aratris,
Saluete æternum uiscera, opesq; meæ.
Vt formosa suo mea Sentia Morosino
Fontanas uiridi tramite mittit aquas.
Illi etiam amplexus, intactaq; basia seruat
Sedula, & annosi pocula auita meri.
Fors parat & puero tædas, placidosq; Hymenæos,
Sartiat ut laceros per scelus omne lare.
Hoc seruati agite ó per mille pericula agelli,
Haud serum hoc, bene mi, quod facietis, erit,

AD AELIAM SENTIAM.

Hebeu Sentia cum tuos ocellos,
Specto plus nimio tuos ocellos.
Grauem uisceribus, grauem medullis,
Misceri male sentio furorem,
Guttatim unde animilla (quantacunq; est
Heu tua ista animilla) colliquescit,

Intra aquam quasi si sal indidisses.
Nec me nocte, dieq́; spes relinquit,
Lamentatio, cogitationes.
Non suspiria, amaritudo, inanes
Curæ, sollicitudines, dolores.
Quis me Sentia nec perire sentis
Ipsum, qui miser, hei miser, perire
Non, pro te, unius assis æstimarim.
Quid nam tu facies minus colenti
Addictum tibi si puella perdis?

IN ASCANIVM FVLCINIVM.

Vix puer Ascanius duodenum euoluerat annum,
Diuitis ingenii cum documenta daret.
Hunc Achademia erudiit, Senaśq; benigna
Tantum hyemes blando fouit alumna sinu.
Emeritis patrias studiis remeauit ad oras,
Et ueteres, docta prouocat arte senes.
I nunc, uitam hominum uerbis illude superbis,
Quam sit longa satis scire uel inde potes.

NENIA IN ANTONIVM MEDICEM ROMANVM.

Tu ne ille Medicæ gentis ingens gloria?
Non Herculi impar uiribus,

Nulli secundus mente, nulli moribus
Secundus, atque literis.
Formaque; Libero decentior patre.
Heu quantum ab illo Antonio
Mutatus, ante mole quique regia
Oculisque stabas uiuidis.
Membris teretibus, pectore adducto, omnibus
Factis ad unguem scilicet.
Etiam ne Parcis licuit hoc nocentibus?
Tu Antonius nec is, nec is modo
Quem ciuitas tremebat hæc tota unicum,
Nunc modicum abisti in puluerem?
Alumna Nepyli uelut parui rosa,
Sero solet sub uespere.
Vel silua uernus alta primum quam induit
Virentibus comis tepor,
Boreas solutos si extulit potens Notos,
Rigensue Bruma commeat.
Quoquo repente uerba, nata fluminum
Frenare cursus lubricos?
Mortalium breuis adeo, & caduca sors
Vt uertitur malis modis.
Sed tu (senex quandoquidem perit satis,
Laude omnium qui auctus perit.)
Grauiore non ultra premendus Nenia
Beatus ultimum uale.

Vale beatus ter quaterq; & amplius,
Si quid queant tot carmina
Vatum labores, & repentes lacrymæ,
Oblinione turbida
Incana ademptum olim loquentur sæcula
Virum undecunq; splendidum.

Finis.

GEORGII ANSELMI NEPOTIS EPIGRAMMATON AD PYRAMVM PEPVLVM LIBER QVARTVS.

VREA diuitibus qui munera mittit auaris,
Alteriusq; opibus sedulus auget opes.
Scilicet & claro qui dat sua carmina Vati,
Non eadem ambobus Pyrame causa subest.
Nam superi & uersu, & cithara placantur eburna,
Dent licet assiduos astra rotata sonos.
Adde sui uel primitias quia muneris omnes
Malunt, quam flauo quod uehit amne Padus.
Hinc grauidi pendent celsa ad delubra racemi,
Additaq; ambrosiis spicea serta comis.
Vatum par ratio atq; deum nimis, optima habentur
Nam parua é grato munera utrisq; animo.

AD MEGILLAM.

Dii me ~~belle~~ candida, dii Megilla perdant,
Pars meæ melior Megilla lucis.
Ni te perdite amo, ac tuos ocellos,
Heu qui me perimunt male intuentem.
Expostusq; etiam in dies amare,
Plusq; quisquam alium potest amare.

Et quam quis potius potest se amare,
Vel plus, quam se, aliumque, quisque amarit.
Sed quo plus ego te laboro amando.
Tu plus impia negligis me amantem,
Et cogis magis, & magis perire,
Nec sæuam Nemesim uereris, An non
Nosti quam uehemens dea ista? quasque
Pœnas exigat insolentiarum?
Si non uis mihi parcere, at tibi, oro,
Parce, Ne ualeam Megilla, si non
Ipsa uti ualeas, uelim perire.

AD AMARYLLIDA.

Dum facie haud possum uestra o Amarylli carere,
Cernere dumque illam certa aueo in tabula.
Misisti uiuam effigiem, spirantiaque ora,
Mensium abs te longo facta labore decem.
Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat,
Pro ipsa tui tantum uix quoque eras similis.
Rara quidem pietas norit quæ tradere, quod non
Aut scissem, aut cupido sat petiissem animo.

IN GASSIVM ETHRVSCVM

Quid omnium quot sunt, fuerunt, quotque erunt,
Ignobilissime, atque postremissime.

Quidnam inquam ais? quid minas edentule?
Quid maximam baubaris in malam crucem?
Qui principem rerum optimum adlatras, iners,
Scabiosus, atque bustuarius canis.
Nemo omnium cum sit pediculosior,
Fames, puderque, fexque gentium omnium,
Oenotrii pus, dedecusque nominis.
Quo nil sit afferrabilius, aut vilius,
Abiectius, despectius, supinius,
Vel nauseabundum magis, vel frigidum.
An ciuitate quod scitus tam nobili
Belua superbis? an lare hoc tam splendido?
Quod ulla nec fides, nec ullus aut metus
Tibi, aut deorum cultus immortalium.
An muribus tineisque quod tot iam cibos,
Scombrisque, cordilisque, quod tot penulas,
Tuis libellis compara sti sordidis?
Foratiorque quolibet cribro miser
Meritus neque hanc necem, ut perires, tam bonam,
Et regiam, sed ille (fas quod principi)
Ille ense vitam non probam abstulit tibi,
At tu haud peristi, ut fas fuit trifurcifer.

EPITAPHIUM ANCHISAE.

Téne ego per flammas, per mille sequentia tela
Infelix medio hoste eripui his humeris?

Prò scelus, emensos tandem ut maria omnia Troas
Desereres, Latio nec fruerere pater?
Ergo uale, hoc humili, nati pietate, sepulchro
Conditus, has animas, si modo terra capit.

DE LEONIDA.

Inuenta Xerxes iam Leonidæ ossa
Vt purpura superinduit.
Clamauit heros ultimo ex barathro,
Hoc agite proditoribus
Auferte Persæ debitum, Hæc, sepulchro
Ornatus ingens, Parmula.

AD MAENAM.

Sæpe mihi doctum iactasti Mæna nepotem,
Sed doctus totiens Mæna, nihil didicit.

TVMVLVS IOANNIS AN-SELMI PATRVI.

Quamuis prima animis proprioq; labore iuuenta,
Tanta dares atauis, quam puer acciperes.
Attamen in uiridi cadis æuo, ut q̃ fragile istud,
Quam fluxum, discant, uiuere inane homines.

AD TRANQVILLVM MOLOSSVM.

Iocundum, & lepidum suum sodalem
Disertum iuuenem, ac bene eruditum
Vult abs te Senium Molosse amari
Anselmus tuus ille totus, ille
Qui te diligit ut suos ocellos.
Quare, si quid amas, amare ut olim
Anselmum quoq; mutuo solebas
Ipsum iam Senium tuum Molosse
Disertum Iuuenem, ac bene eruditum,
Qui te diligit ut suos ocellos,
Amplexare, & ama, ipsum amare, ut olim
Anselmum quoq; mutuo solebas.

DE TIMANTE PICTORE

Virginis in tabula casum dum fingere Achiuæ,
Mœroremq; animi pictor ab arte petit.
Tristem Ithacum posuit, mœstum Menelaon ad aras,
Aegraq; plangentem pectora Testoriden.
Infelix uacuo manibus pater æthere iunctis
Cur misera in tunicis abdita erat facie?
An' lachrimis madeat cum tota tabella, parentis
Vulnus atrox fingit quilibet arbitrio.

IN SOSYLVM.

Quam uere nostram & pulchre te sæpe puellam,
Obiicis in propria Sosyle habere manu,

DE SECESSV BRIXELLANO.

Ô urbium quondam, & locorum ocellule,
Quoscunque uel Saturnia
Tellus colit, uel abluit rex amnium.
Seu Musa amœni litoris,
Seu Brixiæ tu filia es, seu uerius
Tyriæ soror Carthaginis.
Fui admodum in suburbio libens tuo
His Pallados Quinquatriis,
Amabili ocio, atque solitudine.
Angellus hic risit tuus,
Qualis mihi nec Mardo garrulus, neque
Tharrus timendus aduenis.
Quare est, tibi ingentes quod habeam gratias,
Nanque interim uixi mihi,
Et quæ sonoro flumini præest deæ,
Bene esse nec uidi malis.

AD PHOSPHORVM.

Nectar erant tua suauia Phosphore uerba, fluebatque
Vbertim pulsante Ambrosio ambrosia.

Cur non inuideam multum tibi Phosphore, cur non
Nectar? & una, ipsi Ambrosio ambrosiam?

AD ANTONIVM CARPESANVM.

Aspice, quam largo potiaris munere diuum
Antoni, patriæ gloria, honosq; tuæ.
Grande opus euincis sophiæ, quo tempore primum
Debueras timidas conseruisse manus.
Tempus erit, tua Cecropios cum fama magistros
Arte pari, uictrix eloquioq; premat.
Macte puer uirtute, niam ne desere laudis,
Hæc tibi post cineres sola superstes erit.

IN ICARI IMAGINEM CE-
REAM IN BALNEO.

Offuerat cera audaci, sed te Icare cera
Restituit docti nunc manus artificis.
Quare agedum uetitis ne crede uolantibus alas,
Balnea ne facias, dum cadis, Icarea.

AD AELIAM SENTIAM.

Ingere Aelia amiculas labruscas
Coruo, & Dardano, & Albio, & Grapaldo,
Marcoq; Ascanioq; Cæsariq;,

Pulchrum est dememinisse barbarorum,
Dum placo Genium mero, diemq;
Festam dum celebro quotannis, omnis
Qua mi cura, noua repulsa cura est.
Male & si me habeat superba amantem
Tam fidum, male me hercule, & maligne.
At uos ô ueteres mei sodales
Iam dedistite sobrios magistros,
Turpe est ebrium, & ebrios Brigantas,
Et Iouem trepidare fulminantem.

AD HALCYONEN.

Cur populo in medio, cum me, mea uita salutes,
Vt non ipse aliud, non aliam'ue uelim.
Attamen heu pereo, pereo Halcyone ô mea, uixq;
Seruare impensa tāte salute potes.
Me miserum, hic nimio ne uenit mihi langor ab æstu,
Et modica ardenti mors in amore mora est?
Tu uero Halcyone nusq̃; desiste salutis,
Sic, heu sic moriens, opto ego sæpe mori.

AD PEPLIDA.

Cum me lumen ais tuum, tuumq; os,
Spemq;, corq;, animumq;, spiritumq;,
Non tunc

Non tunc, non pereo, perire quod tunc
Nec possum, neq; uis, mi amorq;, luxq;,
Mel meum ò Pepli Hymetium, Atticus flos,
Meæ deliciæ, diesq; festus.
Nolis obsecro nec perire iam tum
Cum te, me miserum, negas perire
Crudelem, impium, & infidelem amantem.

DE REGE PANNONIAE ET TADIO VGO LETTO.

Crescere librorum late generosa supellex
Cœperat, inuicti nobile regis opus.
Nobile opus regis. Sed enim docti quoq; & ipsum
Hoc Tadii fuerat rari opus ingenii.
Aspexit limis ridens Rhamnusia ocellis.
Abscidit & subito nobile regis opus.
Prò cœlo licuit, fatisq; furentibus, uno
Musarum & Martis tanta ruina die?
Disce uices rerum hinc dubias, atq; irrita uota,
Quam prope successu grandia quæq;, carent.

IN LIBROS ASTROLOGIC. INSTITVTIONVM GEOR. ANSELMI AVI

Ibat oceani erudita ad undas
Anselmi numerisq; uocibusq;
Plebs deum simul omnis, ac dearum.
Cum uidère iterum orbem eundem, & aurea
Astra terq;, quaterq;, metientem,
Longum & centoculi meatum Olympi.
Tunc innisa suum supina ad axem
Spreuit Tethyos astuantis amnes
Nonacrina Lycaonis puella.
Pressit fessa suas soror uehellas,
Firmabatq; iter institutum, & ipsa
Plebs deum simul omnis, ac dearum.
Hanc rex ni increpitasset, & pater sol,
Stare cum fatis hic putaret arctos
Ingeni monumenta singularis.
Arctos Oceani utraq;, utraq; undas,
Oblita, utraq; semet, utraq; æterna-
Ingeni monumenta singularis.

DE LVDOVICO SFORTIA.

Si uitam haud ægram traho, regnis exul ademptis,
Quid mirum? hoc animo fata secunda tuli.

AD LVCRETIAM.

Quod formosa proba es, ne crede Lucretia, iniquus
  Torqueat a nobis quod sua spicula Amor.
Dispeream, ni sic dulce est, mea uita, perire,
  Es mihi tam facilis, quam uolo, quando negas.

APOLLO IN ARACHNEN.

Inuisa dudum diis Arachne, Quid sacram
  Laurum implicas nequissima?
An arborem occupare te nescis meam,
  Amaram amanti etiam suo?
Ecquid plagas, & rara nectis retia,
  Casses & incassum struis?
Tenere tu ne scilicet demens putas
  Apollinem quæ fugerit?

AD MARCVM GARBACIVM.

Discordes facit una animos concordia nostros,
  Nam quod tu uelles, hoc quoque Marce uolo.
Idem animus fiet, fiet discordia concors,
  Et quod tu uelles, incipe uelle minus.

LVNAE.

Te sancta, supplex Pieridum cohors
  Errantium altas cœlicolum domos
  Assueta nobiscum uagari
  Carmine, multiforaq; loto.

Illam precamur uocem, Acheloidum
  Quæ non iniquo numine, maximis
  Certare diis ausas, superbis
  Ex humeris populauit alas.
Laudanda nam Luna Oceani patris
  Rerum, potens, & Cymothoes uagæ.
  Titani noctis lux, decusq;
  Docta rudes animare fœtus.
An impudentis nunc Tityi necem
  Dicam? an scientes missilium manus?
  Certa ne sublatam nocentis
  Progeniem Niobes sagitta?
An ut Cyclopas peruenias ferox
  Infans, timoris nescia, & insulam
  Quam fama confuso perennis
  Aeolio tenuit metallo?
Quamq; parenti difficilis deum
  Si qua ex puellis, clam trepida in domos
  Argen ciet, Brontenúe mater,
  Aut mediis Steropen tenébris.
At lumini læuam opposuit manum
  Matris propinquos implicita in sinus,
  Nec ferre carbones puella
  Sustinet illacrimans minaces.
Quin primum ut in regnis propriis soror
  Cedit Tonantis, cum rota feruidas

Magni uias stringens olympi
Aerias agitat choreas.
Amnesus utque, & Parthenius tibi
Iucunda ponto cornua Atlantico.
Frontem lauaturæ, fluenta
Sufficiunt pia, Tauricornem.
Patrisque uisentem atria lucida
In sede, pro se quisque, uocat sua
At ipsa fraterno sedili
Fis propior, propiorque adheres.
Præsto per urbes esse puerperis
Enixa quando non doluit parens,
Dedere canæ te farina
Sacrifica, triplices puellæ.
Hoc elaborati ipsa supercili
O luna donum candida dat Peplis,
Instantibus partus querelis
Clam te iterum, atque iterum uocata
At tu parentem falcifero ab sene
Complexa, consilium adde, & opem bonæ
Fer lucis optatam, augeasque
Nobilibus puerum triumphis.

AD ROLANDVM PALLAVICINVM

Nobilitate, opibus, natis felicibus auctos,
Certum etenim inter magna inuidia esse homines,

Diues opum cum ſis uariarum, & nobilis idem,
Et natis fœlix, largus item, & ſapiens.
Inuidiam ſuperare tamen tibi contigit uni,
Miranturq; magis quam inuideant homines.
An non hæc rara eſt terris prudentia, quæ te,
Supra homines poſuit inuidiamq; ſupra?

AD DARDANVM.

Quam belle eſt tibi Dardane? ecquid illa
Tua & quid Nape? amat ne te, ut ſolebat?
An laudum immemor eſt ſuarum, & iſtos
Moechos perfidioſa acerbiores
An mauult ſibi, quam te amare? Sexum
O ſexum inſipientem, auarum, iniquum,
Vt uult tempore eodem, idemq; non uult.

AD CLYTIEN.

Quanquam nigra oculos, Clytie, q̃q̃ illice uultu,
Quoq; potes riſu ſollicitare Iouem.
Nulla places formæ inſignis tot dotibus, unde hoc?
Infirma eſt omni nam tua parte fides.

IN COCHLIDA.

At Colchi forda, Colchi uacca, buccera,
Vircsa, broncha, murcea.
Vale tuo cum porculatore, hybrida,
Pulicosa, murinus cauus.
Cui mullione: clanculum tot parturis,
Cui tot calones, & coquos.
Cunne ossee uale, mentularum carnifex,
Rudere, usq; crustatum ad genu.
Strix Stygia, strix strigosa, scortum putidum,
Araneosum, & mucidum.
Satis dedisti pessum, Asina, nos pessime,
Exenterasti nos satis.
Moechis uenefica trita semitariis,
Quam fœda macerat Phthisis,
Non amplius mi uita, sed uieta dehinc,
Sed nausea, & odium, & pudor.

AD NAEVIAM.

Cuncta simul uideo cum te uideo, omnia sed si
Aspiciam sine te, Nævia, nil uideo.

EPITAPHIVM ANTONII BAZANI.

Parce hoſpes cineri, iacet hoc Bazanus inani
In ſaxo, ſiculæ fama ſecunda lyræ.
Vix ter, & octonos; ætas pia uoluerat annos,
Perſida cum puero fata dedere necem.
Sed tamen & meritis propriis, & honoribus aucta,
Vita breuis q̃uis eſt tua facta ſenex.
Macte animo, macte ingenio prædiuite quondam
Non oneroſa, precor, ſit tibi terra puer.
Supremum ualeas, creſcant ſic Cinnama, ſic uer,
Sicq́ pio æternum ſpica Ciliſſa rogo,

AD SODALES.

Da merum & roſam Lyce
Eia io, eia io, eia io,
Dehinc merum, & dehinc roſam.
Sentiamam io, Eia io
Quid moraris amphoram?
Dicta nam bonis bona eſt
Hæc dies Chariſtiis.
Eia io ſodalium.
Fida in arduis manus.
IO. Eia io, eia io, eia io.
AN. Quis bibat Plocen nigram
Lumina? & quis Attiden,
Aurea Attiden coma,

Ipse te Anteri, Eia io.
SO. Eia io Anteri, eia io,
AN. Sæua quæ meum coquis
Cor malis modis, io
Te Anteri, Anteri, Anteri,
Ebrius bibo, bibo
Optimis sodalibus
Cæsiam Lycænida,
Cereamq; Græcidem.
Da merum, & rosam Lyce.
SO. Eia io, eia io, eia io,
AN. Rursus & merum & rosam.
SO. Sentianam io, eia io,
Quid moraris amphoram?
AN. Tu bibe Eucticen, bibe
Tu deinde Olympiam,
Ille rursus Eucticen
Crura candidam Eucticen.
Eia io, Sodalitas
Firma in anxiis fide.
SO. Tu bibe, & deinde tu,
Tuq;, & hic, deinde & hic,
Rursum & ille, & ille, & hic.
AN. Da merum, merum Lyce
SO. Eia io, eia io, eia io.
AN. Rursus & merum, & merum.

SO. Dehinc merum, & dehinc merum.
AN. Sentianam io, Eia io
Ne moreris amphoram.
SO. Eia io, eia io, eia io.

AD BRIXILLAM.

Nympha decus fluuiorum animo gratissima nostro
Brixilla, Hesperiæ splendor, & aura tuæ.
Hæc tibi quina soli commendo iugera, ubi olim
Squaluit effœto lurida arena loco.
Quippe iter Eridano, & patulis uia lata carinis,
Qua uenus halantes colligit alma rosas.
Vtq; sinu patris udo, nunc genialibus hortis,
Incipe nuda simul ducere Nympha choros.

AD TRANQVILLVM MOLOSSVM.

Nunc secessibus ociamur, & nos.
Nunc solæ retinent Molosse siluæ,
Vi uelut retinentibus magistris,
Pulchraq; hircipedis puella Panos,
Tantum non, humiles iuuant Myricæ.
Ingentem, in uatios Brigantas, ingens
Dum Cæsar parat expeditionem.
At cum uenerit ipse, tunc canemus,

Nam qui me prohibet bona ominari?
Tunc ego oppida amem alta, ego ipse adunco
Cornu emugiam, & aurea astra pulsem.
Cui, hoc incolumi, male est futurum?
Quis porro bene non putet futurum
Saluo Cæsare Maximilliano?

AD SYENEN.

Sæpe ego uesanum foui sub pectore uulnus
Dum mea perpetuus uiscera torret amor.
Sed pictus ueluti sæuiret in ossibus ignis,
Sensibus hærebant irrita tela meis.
Viua per ardentes bacchatur flamma medullas
Nunc mihi, & insano feruet amore, iecur.
Tu facis hoc, oculiq; tui,, frons celsa, genæq;,
Dulcis & Hyblæo qui uenit ore lepos.
Quare age, marmoreaq; feri præcordia dextra
Saucia, nec lenta corda perure mora.
Vel potius serua, & tantos miserare dolores,
Sola salus, animi sola medella mei.

AD NICAM.

Mel meum mea Nica, mi leuamen
Sola sollicitudinum, & laborum.

Quam te dispereo, & uolo, quam amare
Totis iam cupio puer medullis.
Quamque, & stringere, quamque basiare,
Et arcte, & sitienter, & tenere
Totus deficioque, macerorque,
Gaditana Abyle proteruiorem,
Et si diis placet actuosiorem.
Tu uero ô mea Nica, mi uoluptas
Si qua est, si qua animique, corculique
Cum fide tibi cura seruientis,
Quid uis heu nimio mori me amore?

IN MAENAM.

Mæna nimis mendax speculum est tibi, uera referre
Si uelit, hoc iterum uelle uidere neges.

DE SABIDIO.

Exiguum hoc totiens Sabidi iactasque, rotasque
Dumque inde, dumque & hinc caput.
Pridem, quicquid erat cerebri abiecisse sciebam,
Frustraque inane nunc quati.
Sed puto post cerebrum, quod iam caput omne supinus
Procul, proculque abieceris.

Abs te alius numum in sola nam mille lacerna
Quis sanctus expensum ferat?

AD IACOBVM CARPESANVM.

Gratulor antiquos fandi quod laudibus æquas,
Ac mage quod superes carmine, & arte patrem.
Nam ueteres æquasse, parum est, sed culta parentis
Iudice me, non est uincere scripta parum.

IN BACELVM.

Quod magnus, & nihili homo, quodq; ineptus es,
Par Maximino contigit sors Cæsari.
Quod uanus, imbellis, latrator, & fugax,
Tersita ab ipso, ac Drance mens uenit leui.
Ignobili quod matre, & incerto patre,
Vni diserto similis hoc Pomponio.
Quod teste seminas Bacele es unico,
Hoc Cotta habitu, & hoc Sylla, naturæ fuit.
Quod nocte rem longa semel uix perficis
Sudore cum multo, grauiq; anhelitu,
Hoc Annaci, hoc habes senis Gerenii.
At quod te ament talem puellæ, dic precor,
Dic quo puellis istud ex Alastore?

DE EVSEBIO VALETINO ET MERCVRIO.

Multiplices animi & raras sine crimine dotes,
Miratus, humani & tot ingenii bona.
Facundæq; decus linguæ Cyllenius, inquit.
Plerumq; discipulus magistro doctior.

AD CHRISTOPHORVM BATTVM

Insontem quia fata trahunt, retrahuntq; maligna,
Non pœna, admisso pro scelere, ista tibi est.
Sed quo, cum reliquis præstes uirtutibus, idem
Magni animi facias, hac quoq; parte fidem.

AD NAEVIAM.

Pulchra, Nævia pulchrior sorore,
Pulchræ ni placet hoc minus sorori.
Sed dicam, licet hoc ferat moleste,
Pulchra, Nævia pulchrior sorore.
Terra neutiq; luculenta Chia,
Spuma, lucida nec comas, Batauæ.
Sed natiuo eadem decore semper,
Vel cum somniculosa adhuc capillo
Neglecto, & trepida excitata lecto

Tumentes digitis ficas ocelles
Et quæ cura tibi est meis mearum
Curarum unica cura, age ô puella
Meæ pars potior puella lucis.
Et si mundum amor obsoleuit omnis
Affer mi, affer opem, & salutem, & annos.
Nam quid experienti agendum amanti est
Si me deseris & sinis mori, ipsa
Quæ debes & opem, & salutem, & annos,
Pulchra, Næuia pulchrior sorore.

EPITAPHIVM ANDREÆ ANSELMI PATRIS.

Hic probitas, & laudis amor sine labe iuuentæ,
Debueratq; suis, quæ superesse fides.
Natæ ubi nunc, trinusq; puer, funguntur inani
Munere, ubi coniunx demeat orba, comas.
Quanquam quid miseri, quid inexorabile fatum
Plangimus, aut flecti nescia corda prece
Sat patriæ, domuiq; datum, si ferrea uinci
Fata queant lacrimis, hic quoq; uicta forent
Emeritis uitreum curis admissus in axem
Ipse rogum effugit, purior umbra pater

AD FRANC. CARPESANVM.

Sosandres oculos dicere candidæ
Mentem Castalius corripuit calor.
Nil est clarius ipsis
Sosandres oculis deæ.
Non uox una mihi, non cithara est satis,
Quis carmen superi, aut plectra adamantina, aut
Vires sufficiat? quis
Linguæ robur ahenea?
His uidi teneram luminibus Cyprin
(Credat posteritas) & Charitum choros
Sanctarum, haud sine magni
Extremis facibus Iouis.
Nec passurus erat uulnera pectoris
Insani omnipotens, Ni ueteris memor
Sortis, qua arserit olim
Nequicquam in tetricam Thetin,
Vindicta patrii scilicet exili
In se progeniem præmetuens nouam.
Quanquam in uirgine uesta
Mater, sollicita haud parum
Incinctam strophio cæsariem nigro
Custodem uigilum præficit ignium.
Nec cedit tamen alma
Pulchris ex oculis Venus.
Sed qua perpetuus nil metuat pudor,
Ac iurata deæ relligio, & fides,

Et uirtutis iturum
Annos per memores decus.
Diues materia, & laudibus area
Sosandres patet, ut dicere plura co-
Natus, plura relinquat
Auris ferre silentibus.
Dices Italiæ bella sonantius
Carpesane animæ maxima pars meæ.
Me sis carmine blandas
Interludere uirgines.

DE MATRE SPARTANA.

Dum nati clypeum imponit Spartana sinistræ
Martia uenturi ad prælia, mater ait.
Hoc tibi seruauit puero pater, eia age nate
Nimirum & serua tu quoque, uel morere.

AD CVRAS.

Quorsum sollicita, hei grauisq; cura
Quocunque, undiq;, ubique, & undecunque,
Vexas Peplida, (me misellum,) & uris?
Qua nil pulchrius, innocentiusque est.
Dum flet coniugem inops diem, atque noctem,
Nuper perpetuo sopore pressum.

Non ſemper Iouis ira, nec ſequaces
Flammæ per uacuas feruntur auras.
Diſcede hinc procul, ac procul, malam in rem,
Non eſt unum hominem periſſe tanti,

DE HORTIS BRIXELLANIS.

Quod ſola læta uirent pictæ modo peruia puppi,
Fluuiorum rex hoc filiæ habere dedit.

AD SYENEM.

O ſæculi ſidus tui, & rarum decus,
Seu ſtemma gentis nobile,
Heroibuſq; imagines ductas uelis.
Siue indolis ſpecimen ſacræ,
Deſideratam & optimo faciem Ioui,
Quæ me urit, & uerſat diu.
Verſare ceu tempeſtuoſa Caſpium
Fortuna Neptunnum ſolet.
Venia ſed ingens eſt amor dignus nimis,
Scias ſi amanti ignoſcere.
Nam tu te perdideris ſi amantem (& ſi quidem
Sum perditus pridem miſer,
Niſi me adimes, opemq; protinus feras.)
Quid hoſtibus facies tuis?

Ego te tuæ per frontis eximium iubar,
Diisq; inuidenda lumina
Per colla te rogo eburnea, & per dulcia
Oris labella mellei.
Miserere morientis tua causa, & tuum
Serua Syene supplicem.

AD LEONARDVM BOTTAM.

Botta opibus, natis, & equestri auro, & genere, & ui
It dicendi æquo cum Cicerone gradu.
Tot neq; spes illum sæclis frustatur, & hirquis
Nequicquam uindex surda notat, Nemesis,
Si quæras unde hoc? quia nulla superbia Bottæ est,
Et sperat, nisi sit, fasq;, piumq; nihil.

AD CAESAREM CARISSIMVM.

Cæsar uir elegans, uir eruditorum,
Bonorum & omnium decusq;, fautorq;.
Quem non reflantis acer impetus frangit
Fortunæ, Atrocis nec furor ferox Martis
De sede constantem mouet sua, Sed qui
Possessor unicus tui, & tui late
Securus ipse dux, & arbiter uiuis,
Plebe à maligna, & inanibus procul curis.

Hic seminarium malorum Mæuius
Tegitur profanus omnium.
Cum quo & scelera cuncta, esse quæ quidem queant
In tardo, inepto, ac supplice.

AD NAEVIAM.

Aemula Subrinis quod sis mea uita pruinis,
Næuia nigra comas, Næuia nigra oculos.
Et quod per mentumq; teres, per collaq; eburnea,
Exigui hinc sparsim næuuli, & inde micant.
Vertice quod toto talos pulcherrima ad imos,
Quodq; nisi in tanta est salq; uenusq; nihil.
Stridula quam incusans Veneris sandalia Liuor.
Transeat hac formæ dote? animiq; opibus.
Quod tibi fluxa fides, Pariisq; simillima pactis,
Vicinæ ut narrant Psilla, & Agæa tuæ.
Heu quid agam miser, heu miser? odero egone? sequarne?
Te quidem amare labor, teq; carere dolor.

EPITAPHIVM TADII VGOLETTI.

Hic Tadius ille est sæculi sui splendor
Situs, utriusq; columen, & decus linguæ.
Reconditorum sensuum rudi, qui iam

Silua incohata, uatum acutus interpres
Nouum Latinis literis chaos fudit.
Ne moribus dehinc, néue naris emunctæ
Abominabilis imperitiæ censor,
Vel Cato aliquis, uel Metius foret iudex

AD EVSEBIVM VALENTINVM.

Rara tui bona qui dicam ingenii? nisi digna
Illa Valentini nomine, & Eusebii.

AD BACCHVM.

Euæ quid mihi Bacche, Bacche, Bacche,
In præcordia adest furoris? Euæ
Euæ cor trepidat metu recenti.
Quo plenum rapis o tui? remotos
Quos nam mente agor in specus furenti?
Ne sæui metuende Bacche Thyrso,
Proles ætherei Iouis perustæ
Direpte ex utero puer parentis.
Bacche Naiadum patrone, Bacche
Potens Bassaridum, bimater alme,
Idem Aedonidum & incitator Euan,
Idem numina numen omnia unum.
Te Mineides impiæ, impiæ illæ

Dum spernunt, fugiant fuga cita actæ.
Tibi perpetuum uiret iuuentas,
Deorum omnipotens paterque, rexque,
Liber, Euchie, multinomie adsis.
Et me ore eripe sæuientis orci,
Euinctis hedera comis uirenti.
Adsis lætitiæ dator Tyoneu.
Adsis, & Themide hinc fauente pelle
Languentem procul, & procul senectam.

Finis.

GEORGII ANSELMI NEPOTIS EPIGRAMMATON AD HIERONYMUM CAMVRANVM LIBER QVINTVS.

Q V O D comis es, quod liberalis, & doctus,
Camurane nostrorum sodalium prime.
Matura cuius & domi, & foris uirtus
Amare cogit ipsa se uel inuitos.
Infantias tibi has leues, & insulsas
Pro mutuo inter nos amore, conscripsi.
Tu, quæso, mentiare plurima, efferáq;,
Quodcunq; sit sodalitatis hoc pignus.
Etiamq; amori largiare plus, sancta
Quam ueritas sibi, decorq; permittat.
Debebo Camurane tibi plurimum: uerbis
Ornare, nostrum si audiam tuis munus.
Insaniebam, & excitabar, immenso
Ne fallar, immortalitatis ardore,
(Perennis ut cupidi sumus nimis famæ)
Transirem inani ne silentio uitam,
Quam uitam & ignaui uelint, & infames,
Soli uelut quæ seruiunt feræ uentri.
Tu uero, per quod ipse defatigaui
Frustra deos, Iouemq; sospitatorem.
Vt impleas, peto, eximasq; me uulgo,

Meumq́; libris inseras tuis nomen.
Laudari enim abs te lætor homine laudato,
Quod comis es, quod liberalis, & doctus.

IN SILVIAM ET ALBAM VINCENTII MANTVANI.

Ipse leues, siluas inter, ne sperne susurros,
Sordeat aut tanto Siluia, & Alba duci.
Tempus erit tua cum Latiis decus addite rebus,
Efferat immensa fortia facta tuba.
Tu modo per patrias artes, per nomen auorum
Incipe iam nunc dux maxime ferre gradum.
Aenean quamuis gestis ingentibus æques,
Ecce tua tibi iam partus in urbe Maro est.
Quem licet à paruis clarum prescifcere uatem,
Noscitur ut forti magnus ab ungue Leo.
Mantua nimirum felix, tot pectora in armis
Martia, tot uatum lumina, nata dare.

AD FLOREM.

Fare tu mihi Flos, quibus te ab oris
Amplector, teneoq́ʒ, basioq́;?
Tène te in biferis Adonis hortis
Nuper nectareo rigabat imbre?

Felix flos mihi, flos beate, fructus
Si optatos dederis diu, & petitos,
Quos te pœniteat dedisse nonquam.
Et si non dederis diu petitos,
Quos te pœniteat negasse semper.

AD INAM.

Suauia mi Ina nimis tua suauia, summa madescunt
Vel mea uix blandis si labia in labiis.
At labia actutum si quid per summa morantur,
Eximis ex imis unguibus Ina animam.

AD LIBRVM.

Dulcis Libelle amantis heu spreti labor,
Versatus illa qui manu, illa Iuppiter
Pulcherrima nimium manu, & tenerrima,
Tenere noctes quam manum cupio, ac dies,
Labella mouisti illa Hymetia, & diu
Per ipsa mouisti labella lingulam
Mulsam, sequacem, uiperinam, lubricam,
Tuas legit dum ineptias, ac perlegit.
Quam mordicus si basiem, & suggam semel,
Non regna parta magne Pontifex tibi,
Nec Cæsari uictam inuidebo Galliam.

Dic, quæso, dic amabò, dic fælix nimis,
Doctas per aures sic diu uoles uirum.
Laudata longum num Chloe sordet? tuo
Num te fateri uera si uati uelis,
Lydæ dedisse tot seni noctes pudet?

EPITAPHIVM MARYLLIAE.

Furnia seruitii, atq; actæ bene conscia uitæ,
Hic tibi congesto cespite iusta facit.
Nos lacrimas mœsti, & mutam leue carmen ad urnam
Fundimus, ac plena turea dona manu.
I, precor, I nulli iam formidabilis umbra,
Nec mihi per noctem pallida larua ueni.
Sit somnus, sint longa tuis obliuia rebus,
O sancta, & semper uera locuta senex.

DE LAVDIBVS BRI-
XELLI.

Magnæ filia Brixiæ
Vrbs, tot diues auis, tot titulis potens.
Seu Breni potius tui
Stirps, septemgeminis arcibus æmula.
Seu regina coloniam
Scribit te populis Roma potentibus

Patrona Aemyliæ uiæ.
Vix possum ipse mihi credere, litium
Fugisse implicitos sinus.
Tandem sors bona me restituit mihi,
Tandem restituit tibi.
Salue perpetuo libera gentium
Digna iis nominibus parens.
Illustriq; obitu Cæsaris, & rogo,
Longis clara periculis.
Vrbs clara ingeniis, urbs populis frequens,
Portuq; inclyta prapete.
Nam quid planiciem, fertile uel solum? aut
Riparum memorem toros?
Aut fretum triplici uiuere sæculo
Hoc cœli positu genus?
Quid dicam incolumes (nomina adhuc sibi
Quæ seruant ueterum) domos?
Quid late faciem antiqui operis? quid &
Tot spirantia marmora?
Adde educta deum templa sub æthere,
Hinc præsentia numina,
Hinc defensa manu mœnia cœlitum.
Et nunc emporia, ac uias,
Et feruentia nunc flumina nauibus,
Nunc merce alterius poli
Adde artes uarias, adde nec inscios

Musarum thiasi uiros.
Te læto placidus numine Iuppiter
Pulchra ditet adorea.
Te pax candida, pax aurea nutriat,
In Gallosq; famem, & dolum
Assuetosq; malis in Ligures agat.

AD POSTHVMVM.

Pauca rogas; tua depereant ne nomina, de te
Vt scribam, de te en Posthume pauca, latro es.

IN POLYPHEMVM.

Sunt quidam qui Ceneos impenetrabilis hastam
Vocent uirum te sæuum, & insolentem.
Quod leuis, & longus, monstrum quod inutile, inersq;,
Caligam te ego ô Polypheme Maximini.

AD FVRNIAM.

Plaga Amor est misero, fluit alto a uulnere tabes,
Heu nunquam sicco à uulnere, inops lacrima.
Deficit auxilii mens indiga, nulla Machaon
Sollicitus spargit pharmaca semianimi.
Telephus ah perii nisi tu fera Furnia Achilles,
Forma salus eadem est unica, quæ pupugit.

AD BERONICAM.

Lac album Beronica, ni colustrum,
Ni nix prima magis, Matina ni tu
Vel uelis rosa, uel Melissa dici.
Te amplecti, & premere, atq; inire ab imis
Amens, ut cupio, & miser medullis.
Armenta ut solet insilire equarum
Admissarius acer, ut iuuencas
Solet taurus inire Næuianas
Nutritus niuea Birezi in arce.
Iam pridem femur usq; ad umbilicum
Conmingo mihi, frigidumq; uanis
Nequicq; ictibus àerem lacesso.
Non est fabula, si moreris, aurea
Qui nunc sidera respicit, supinum
Is duplexq;, triplexq;, quadruplexq;
Intra iam femen en caput recondet.

IN OLLVM.

Angeris inuita extundis dum Pallade carmen,
Et male felicem noxq;, laborq; terit.
Num furor, ut sera ô demens post funera uiuas,
Nunq; uiuendo desinere Olle mori?

AD IANVAM.

Euge ô Ianua, utrum meam quietem
Te dicam miser, an meum sepulchrum?
Tuo in limine enim quiesq;, morsq;,
Non inuenta alibi reperta sæpe est,
Et uos pessuli utriq; amici, utriq;
Nunc mi ineptuli, utriq; semisomni.
An quando ingreditur Megilla, & exit,
Quæso incendia uos pati ne, pœtis
Pote est, quæ iaculatur, ex ocellis?

IA Vix ferre est dominæ exeuntis ignes,
Nam si huic plusculæ heri moræ, ante ualuas
Hac te prætereunte quid fuisset
In fumos misera ustilata abissem.
Sed suspiria nunc magis me adurunt
Tua, ignescit, & hinc iam, & inde Cardo,
Iam iam Ianua sum futura & ipsa
Nulla, nulla, repente ni facessis.

AN. Quin tu limen ama, & meam Megillam
Centum clauibus obstinata serua
Intactam, precor, usq; & integellam.
Sic nunq; pede te terant molesto
Pistores madidiq;, Phratoresq;.
Verum lilia te tegant, rosæq;,
Si quicq; ue, rosis ue, liliis ue,
Et gratum magis, & magis suaue est.

Ad Iudiam.

AD LYDIAM.

Accipe diuerso contextam flore coronam
Nostrarum mea lux Lydia opus manuum.
Lilia ubi, calathiq; rosarum, Anemona, crocumq;,
Et teneri Narcisi, & uariæ Violæ.
Presserit hæc cultu cum uersicolore capillos,
Nobilis, & nares pulserit aura tuas.
Sis memor ó misero quæ illudis Lydia, quam sit
Par tibi cum sertis sorsq;, decorq; tuis.

IN DAEDALVM.

Quid murmuranti insulse asillos Cæsari,
Longosq; Tabanos subiicis?
Nam quod cum Asylis Cæsari, idem Dædale
Longis tibi cum tibiis.

LAELIA AD LYGDAMVM.

Vnde meis mea uita grauis sit in ossibus ardor,
Et quo dispeream, sæpe furore rogas.
Quid tot sollicitas me uersibus? ista rogare
Desine, nam uulnus qui facit, ille rogat.
Viue igitur tantis, tantis si uiuere pœnis
Mens tibi, pasce mea lumina torua nece.

Scilicet ut pro te moriar, te semper amabo,
Perfide siue uelis Lygdame, siue neges.

EPITAPHIVM IO. MORTYLLIONIS.

Desideras fortasse si me militum
Ferax bonorum Gallia.
Desiderare, quæso, desine, & tuis
Dic matribus tales creent.
Optare enim me & si potes. partum ob decus
Carere certe non potes,

IN OLLVM.

Olle tuos famuli curant longo ordine fundos,
Cum sim pene mihi & uillicus, & dominus.
Gallica te iumenta uehunt conuexa tuentem
Ad supera, at manibus Aemyliam ipse tero.
Contrahis his nares, hos fastu despuis, atque hos,
Hinc comem prensat me Institor, hinc Lanius.
Diuersum hoc fateor, sed enim diuersius illud,
Tanta tua hæc quod habent te, mea ego hæc habeo.

AD AELIAM SENTIAM.

V

O mea Ælia, siue fers quietum
Caris cara sodalibus soporem,
Vinúe, æstumúe, iocosúe, siue amores,
Misce mi patrios precor trientes,
Et meo Senio, & meo Molosso,
Et Carissimo, & Aelic, & Latino,
Et Batto, Tadioq́;, Cæsariq́;.
At uos unanimi mei sodales
Viuite, & bibite, & iubete auaras
Hinc curasq́;, molestiasq́; atroces,
Vittatam ad Meroen comas sagittis,
Insomnesúe repente abire in Aegas,
Nam uos crastina cogitare iniquum est.

AD NYSSAM.

Mirari mea Nyssa soles, dum basia amanti
Das misero, miris ora calere modis.
Currit inops labiis animus quia feruidus istis,
Hauriat, an potius basia det, dubito.
Hoc certum est, quod plura dares si basia amanti,
Linquerem ego Ambrosiis hanc animam in labiis.

DE EVNO.

Dum uexat Teletusa & angit Eunum,
Modo dissidium, & subinde amorem

Fingens callida, nec sua in manu Eunus,
Nec scit se spoliari, & ire pessum.
Sunt illi dum animo insitæ ac medullis
Sordes dentium, & oris, & genarum
Rugæ, immundiciæq;, laxitasq.
Fit sensim (miser, & senex, inopsq;,)
De Symphoniaco Atriensis Eunus.

AD FVRNIAM.

Candida cyaneo qualis micat æthere Luna,
Cum plena pulsis ora profert nubibus.
Qualis ebur Terebintho ubi clauditur Oricia,
Aut Indica auro gemma qualis Celtico.
Furnia talis eras captum tua dextera cum me
Ceu hedera flexipes ligaret sub iugo.
Nam nil tum fuerat formosius, & mage pulchrum,
Similis tibi, & par una eras tantum tibi.
Nunc quoq; te superas ipsam, te pulchrior ipsa,
Venusta nec fieri (ut uelis) magis potes.
Et quamuis possis, satius iam nolle, uolucris
Meo umbra pridem incendio uix est super.
Quidnam uis ultra? q maria, ô terræ, ardeo, quantum
Non Hercules cruore Nesseo, neq;
Flamma uirens Siculi rapido cratere camini,
Futurus, umbra nunc qui inanis sum, nihil.

CLYPEVS NEPTVNNO RESTITVTVS.

Hæc tibi Nisus, opus magni Didymaonis olim,
Restituit patri dona Tridentifero.
Quæ pius Aeneas, rapidi certamina cursus
Dum celebrat, puero præmia habere dedit.
Ista, tuo quoniam sacro de poste, refixa,
Peccatum adscribas hostibus hoc Danais.

SOLI.

Ecce sol pelago nouus
Aurora præeunte adest,
Dignas dic agedum preces
Nouo Barbite Soli.
O cœli decus, & cor, &
Mens rite, & ratio, uidens
Omnia, omniaq́ audiens,
Aeterna ô dei imago,
O mundi arbiter, ô sator
Rerum, magni Hyperionis
Germen auricomum, unicum
Germen, omnibus unum.
Idem Iustitiæ unicus
Et aurarum oculus, sciens

Messium uicis, & geli,
Vnde est & color, & lux.
Tu lucem exigis improbam,
Exors undiq; sordium,
Tua olim, manus exulum
Vitat ora uolantum.
O Sol fons animæ, & pater,
Immensa face qui explicas
Fatorum seriem, qui & in-
Exorabile pensum.
Ignis qui genitabilis
Prouidentiæ, & ingeni,
Summa infernaq; temperas,
Et siluæ rude corpus.
Sol rex, Sol rapidi ætheris
(Nam tua sumus in fide)
Vita uiuida, da bonum
Da Sol auree finem.

DE GORGIA EPIROTA ET MATRE.

Effertur misera officio dum forte supremo
Mater, in accensis bis peritura rogis.
Protinus ecce nouo tenuit uagore frentes,
Visceraq; explenit semisepulta puer.

Eliadum mirata ferax Epiros equarum,
Naturam leges dedidicisse suas.
Quippe hæc post mortem infelix parit, & prius ille
Elatus, quam lux hæc rapida hausta foret.

IN MANLIVM.

Insuber, & blæsus, nec sat tibi lingua pudica est,
Quid mirum Manli, tam male si loqueris.

AD NOCTEM.

O meorum conscia Nox amorum,
Cara blandorum genitrici Amorum,
Cara diis magnis, & amica magno
Nox pia Soli.
Diua qua tandem benefacta uoce
Gratus extollam tua? Nox deorum
Nox parens fœcunda hominum, bonæque
Pacis alumna.
Tota sensus, tota oculos, & aures,
Furta non segnis miserata amantum,
Exitus cæco capiti imminentes
Pellis & aufers,
Excubans nostræ totiens saluti.
Cum uel audacesque minas dolosque

Irritos fratris, ſine ui, Neæræ
Spargis in auras.
Nondum in omnes lutea flagra Eous
Mouerat ſtellas, mea cum repente
Lux, ſubinuitis moriturum ab ulnis
Miſit inermem.
Ille de ſolo leuis angiportu
Per ſilentia inſidioſa lunæ
Enſe clam ſtricto, clypeoq; late
Surgit in iras.
Vita ſic alta exanimis feneſtra,
Frater, ah frater quid agis? quid heheu
Impie audes? impie nos quoq; illo
Enſe pete, enſe
(Quando nil ultra mihi reſtat) illo
Auferas hanc una animam, precamur.
Sic ait, terræ reuoluta mentis
Excidit exors.
Ferreus cedem prior in nepotum
Quiſquis horrendos meditatus enſes,
Credidit ſegnem nimium ſenectam,
Seraq; fata.
Priſca nimirum nouies beata
Noxii expers gens gladii, & duelli,
Virgines tuto rudis inter ipſas
Luſit amator,

Lusit, & duros patefecit ignes,
(Nam quod est crimen palam amare?) sicq;
Nocte nil præter rutila astra, & umbram
Vidit inermis.

AD PHORCYNVM SFORTIAM.

Non ego quod princeps amo te, ambitiosi, & auari est
Quærere opes, quid enim principem amare aliud?
Sed quia per colles is iam puer Aonas, & iam
Quo quondam facies impete, bella canis.
Quid referam ingenium, & mores, quis regna parantur,
Atq; animos, fortunæ omina aperta tuæ?
Macte & auo, macte & natali, & imagine patris,
Artibus iis tollunt languida regna caput.

IN MAENAM.

Ethrusca tellus, siue tu Tyrrhenia,
(Nam te uocant Tyrrheniam
Quicunq; deductos Tyrannos hinc uolunt
Prauum genus hominum, & nocens)
Quoquo uetusta Romuli nepotibus
Petita pridem dogmata?
At qui fouere forte erat parum tibi
Nisi mitteres aliis malum:

Vt ciuium conbiberet innocentium
    Auidus cruorem carnifex.
Cui prima passim prostituta ætas uiris
    Omnes oberrarit scholas.
Et pessimas receperit libidines
    Per cuncta corporis caua.
Dum laxa late dissilirent hostia
    Vdæq; per noctem nates.
Diuendita nunc pileatis fratribus
    Vxore uulgo, ac liberis,
Prouincialium petit uagus toros,
    Et concubinos nobiles.
Totisq;, cum mutoniatis, noctibus
    Superba lambit inguina.
Illa illa Lenonum, & cinædorum, malis
    A perta delatoribus
Scelerum omnium sentina, nidusq;, improbis
    Draucis asylum, & furibus.
Nam quid sororum sordidos quæstus feram,
    Quæsita p̄ æra neptibus?
Quid filium dicam inuerecundissimum
    Puerum, & sui simillimum?
Fœdam, paternarumq; turpitudinum
    Latissimam uoraginem?
Quid impudice, & improbande me excitas?
    Flagitia dicentur tua.

Quid crura quæso curua, & enormes pedes,
Pectus quid auctum gibbere?
Quid sima Mæna naris, osq; desinens
In Simiam fœdam, aut canem,
Vt hircus olidus, aut capella febriens?
Quid pallor ille luteus,
Nisi furta patefacit tua? & libidines?
Et sanguinis sæuam sitim?
Nam quod furori ius, ratione, perdito
Ignauia & formidine?
Inhianti honores, assequi quos non potes,
Pudore prostrato semel.
Sed quas pecunias modis rapis omnibus
Dedecore maximo potes.
Ignobiles quoniam latrones partibus.
Ii sedulo fauent tuis,
Quos æquum erat te perdere, in te si uiri,
Si spiritus aliquid foret.
Horum ut rapinæ postulant, & pessima
Cum plebe direptæ domus.
Vt templa spoliata, utq; abominabilis
Innexa fraus clientibus.
Descende iam in te, teq; cunctis concute,
Infame gentibus caput.
Vide omnium ut apertissima indignatio
Fastus tuos ter despuat.

Populariumq; ut excites stomachantium
    Casure iam miser, minas.
Consistere uno si diu in uestigio
    Fortuna nutet insolens,
Multos timere nam necesse, singulos
    Si uane Mæna negligis.
Vide ora iam iam plena contumeliis,
    Vide impudicas filias
Domesticis nunc quæ allubescentes procis
    Iam rebus insudant suis,
Dum matris unaquæq; subsessoribus
    Recens locatur succuba.
Tu fur furis furiose, tu nequissime
    Aliena disquiris mala.
Et spernis infelix tua, atq; adulteros
    Pateris, pati qui nescias
Tot supplices, tot iura clamantes sibi
    Summa negari iniuria.
Quid turbinata Cochlea, quid inquam tremis?
    Quid nam teris conuoluole?
Inmane Mæna nefas, & insolens scelus,
    Thusca expiandum nenia,
Cunctarum origo, & officina fraudium,
    Odiumq; gentium, & pudor.
Et quos oportet, si dii oderunt satis,
    Odium deorum etiam omnium.

V

Nihil tuæ tibi proderunt minæ, nihil
Tumultuariæ manus.
Adero tuorum ultor, sceleste, criminum,
Nostrum neque effugies iecur.
Quin te tenebo dente, & ungue, pertinax
Echeneis ut naues uagas,
Prædam ut ministra fulminum uelocium
Volucris unguibus premit.
Quicquidque fellis, quicquid & mihi uirium,
(Quando una non dextra hæc satis)
Id omne qualecunque fundam, opprobria
Cunctis palam ut faciam tua.

IN MENEDEMUM.

Qui tibi sint mores Menedeme, aut qualia facta
Nescio, sed scio te pessimam habere animam.

AD BERNARDUM BERGONGIUM.

Gloria magnanimum Bernarde, & splendor auorum,
In quo rara fides, nobile & ingenium.
Multa, domus quamuis ingentibus ampla triumphis
Penderit, infracto pectore plura refers.

AD IONEM.

Ecquid Lucernæ nunc tibi
Hanc flammulam leuem times?
Deum quæ Amorem incendii
Io superba negligis.
Calere plus satis times
Insulsa, aduri non times?

IN LINVM.

Cum tu sis facie tali Line, ne pete fontem,
Neu iuga qua nitida defluit amnis aqua.
Aspiciensne te, nimio Narcisus amore
Vt quondam, ipse odio sic moriare tui.

AD MARYLLAM.

Da mi basia, da Marylla si quot
Forte audire uelis, Libyssam arenam,
Cæli lumina conticente nocte.
Nostro quotq; in amore sint querelæ
Leuis dum patimur quotidiana
Anus iurgia, & æmulationes,.
Dii magni, ut numerem, Marylla mandas.
Da mi mille, deinde mille, deinde
Mille, & altera tanta, deinde centum,
Et dehinc mille tricenties tricentu,

Dehincq; millia millies tricenta.
Da dehinc tria tanta, deinde mille,
Dehinc mille altera hiulculis labellis.
Micent humidulæ per ora linguæ,
Sunt linguæ anguibus ut uoluminosis.
Mox dum lassula tenuiore marcs
Marylla halitu, uterq; utrinq; & hirquis
Celat lumina, iamq;, iam columbatim—
Et suspiria anhela glutiuntur.
Dum sorbillo animæ flagrantis auram,
Oscillumq; ut apis Matina odorum.
Dum suggilla labella morsicatim,
Haustus obruar omnibus medullis
Tam densæ in segete osculationis.

IN ACTIVM.

Insidias dudum haud talis molitus inermi
Dum tua atrox facinus flet mea cura soror.
Non hodie infelix paribus deprensus in armis
Fata (licet uertas terga) inimica fugis.
Quanq; indignum animo semper uindicta uirili est,
Et uitæ quenq; surripuisse suæ.
Noueris, æthereæ Acti dum obliuisceris auræ,
Insequitur claudo quod pede pœna malos.

DE HYBRIDA.

Quid Gallica arrogantia tumet tantum,
Hic ebriosus barbarus,
Et mentis impos, & male utilis dextrę
Fortuna non istum Hybridam
Ad longioris imperi gradus tollit,
Sed ad ruinam, & ad crucem.

AD NICARETVM.

Cur Paridis damnas mala Nicarete, & Menelaū?
Tot tua cum teneat secum Helene Paridas.

IN ALVTAM.

Iactat, nescio, cum quo Aluta uappa
Ista nescia, & ociosa mœcha
Stuppa uilior, & tocis caducis,
Anselmum illius emoriri amore,
Illam qui tamen haud facit Terunci.
Iactat se nebulo subinde, nequam
Vappa, inanior ille nube inani.
Iactet se diu Aluta & hoc, & isto,
Dum centone foraminato, & uncto
Mox panem petat hostiatim, & ille

Decoctorqꝫ, popinoq́;, helluoqꝫ.
Bruta, & nescia, & ociosa mœcha.

AD TERINNAM.

Vernantes periere comæ, pars altera uultus,
Altera sub nitida pars tibi fronte micat.
Sed flaui uenient (siqua est ea gloria) crines,
Et recidiua iterum conspiciere coma.
Ne doleas, frustra quod fles, tolerabile damnum est,
Dum meliore datur parte Terinna frui.

NVBIBVS.

Imbriferæ abite, abite Nubes,
Abite excelsi siue Saxi
Iugis niualibus sedetis.
Seu patris Adriæ uireta
Sacris celebratis choreis.
Seu pinguia hauritis fluenta
Tharri ruentis, siue fuluos
Vagantiæ tenetis amnes,
Alti ue uertices Terenti.
NV. Huc huc sorores aëriæ
Cauo Monææ de sinu
Iuges procellas cogite.

Versate, trahite, sternite,
Humore montes præpeti.
O imbrium, & sonantis
AN. *Pluuiæ, deæ potentes.*
Satis diu, satis iam
Iratæ, abeste pulchra
A Peplide, & fauete
Mihi fronte iam serena.

IN BETTICVM.

Papia displiceat cur lex tibi Bettice tantum,
Bettice Cæsareæ pusq; pudorq; togæ.
Desino mirari, uetitis non æquus Ephœbis
Nimirum hæredi quam dare, quod dare uis.
Scilicet atq; odio quorsum tibi Iulia, & istud
Iam quoq; mirari Bettice desinimus.
Semiuir uxoris trepidas dum iurgia moechæ,
Increuit pariter quæstus uterq; domi.

AD AVITVM.

Per deos Teletusa Auite pulchra est,
Et tota est fateor uenusta, (nosti
Tu si quicq; in amore) tota sane
Sal, & mundiciæ, facetiæq;.

V

Cur enim manifesta pernegemus?
Verum illa est (ita uiuam) auara, & assem
Quæ pluris quam homines facit trecentos.
Quare desine dehinc molestus esse,
Me tam aperta neq; in pericla mittas,
Tanti non emo amice pœnitere.

DE DAPHNE ET APOLLINE.

Daphnen dum Apollo sequitur incito passu,
Versasq; anhelus iam comas
Premit arctius, simulq; uellicatim hæret
In semihiulcis suauiis.
Ve misero amanti, sic quoq; inquit est nobis
Amara adhuc & aspera.

IN MACTIAM.

Cum doliarem Mactia hæc replet uentrem,
Nec contineri in propria potest pelle,
Ore petit ora putrium latrinarum
Vomens suillæ crapulæ grauem noxam.
Vt nescias uoret libentius demens,
Reddat cloacis atram an omnibus cœnam
Cedo est gulæ? an mala ista narium culpa?

DIIS AGRESTIBUS.

Antra, domus Nympharum, & qui de caute cadis fons,
Fontis & irriguis proxima pinus aquis.
Tu quoque Cylleni niueo quem uertice fudit
Maia, uirens & qui Pana tenes scopulus.
Libaq; placati, & pateris Tabiana repandis,
Accipite, Aeacidæ dona Neoptolemi.

AD VENVSILLAM.

Auertis cum oculos, fugisq; uultu
A nostro, aspiciam, sequarq; ne te,
Ne uiuam, Veneremq; & ipse multum
Iratam timeamque sentiamq;,
In uanum Venusilla si laboras,
Nam, dum auerteris acrius, fugisque,
In tui me odium, in tuiq;, tu me
Damnum, sæua uidelicet lacessis.
Sors est pessima, pœnitenda, iniqua,
Auersam sequi, amare pernegantem.

EPITAPHIVM HIPPOLYTI ANSELMI FILII.

Qui traxi genus Anselmo alto à sanguine, paruus
Hippolytus, superis ut placitum, hic iaceo.

Ipse manus inter, lacrimantum ante ora parentum,
Heu messem infelix occido post decimam.

AD NAEVIAM.

Graianis traheres si genus ab iugis.
Aut in Succisii Nævia rupibus,
Immanis premeres Tigridis ubera,
Audires tamen anxios
Questus, & rigidæ limina ianuæ
Stringentem propius saucium ad oscula
Turbata, ualidis surdior Africis
Quercu, temnere negligas,.
Nam quid uel geminum hinc inde micat iubar,
Vel pectus Pario marmore purius?
Quid ceruixq; teres, uaraq; brachia, &
Gressus, & niueum latus?
Si nec frons uiolis pallida concolor,
Vdæ nec lacrimis exanimes genæ.
Nec iunctæ innumeris muneribus piæ
Curuant difficilem preces,
Irato, fera crudelior, Adria.
Non retro decus, & uer breue sæculi
Vertes Palladiis conditionibus
Elapsum é manibus semel.
Nam nec terra opibus uerna nitet suis,
Semper, nec uirides arboribus comæ.

Non omni gemitus tempore Daulias
Lugens ales, Ityn, nouat,
Crimen Cecropii perpetuum laris.
Quamuis pœniteat sæuitiæ, licet
Votis cœlicolum sollicites patrem,
Mandares Aquilonibus
Absurdas gelidis Næuia nenias.
Cum formæ celer hic aruerit decor,
Diffingent, rapidi, fata potentia
Nusquam, quod tulerint dies?

Finis.

GEORGII ANSELMI NEPOTIS EPIGRAMMATON AD ASCANIUM BOTTAM LIBER SEXTUS.

ONSVLTISSIME iuris utriusq;
c Ipso uel Labeone, uel Sabino
Et magis grauis, & magis diserte
Ascani, pater elegantiarum
Quot sunt, quotq; aliis fuere in annis.
Non surda quid ego aure, nec iacenti,
Natali tibi luce dedicabo?
Hanc negauero si papyrum inanem
Et frugis bonæ. & eruditionis.
Multum præcipue, ac diu roganti.
Iam tum hinc cum officiosiore amico
Certatim, & querulo hinc cliente, & illinc
Selectissima dona conferantur,
Ergo hæc sexta mearum ineptiarum
Crescat pagina, & hic tibi infacetus
Tuisq; auspiciis libellus, aureis
Nequicq; decoratus umbilicis.
Sed rude, illepidum poëma, & ipsi
Damnatum piperi modo & Siluris
Nasuto Hircigenæq;, Quintioq;
Neq; iniuria in ordinem redactum.

IN AMOREM LIGATVM.

Funde diu uinctus genitum deus improbe, & exlex,
Funde diu tepidas ex oculis lacrimas.
Prædo pudicitiæ, & rationis, mentis abactor,
Cæcum uulnus, edax cura, proteruus Amor.
Absoluunt homines grauidis tua uincula curis,
Tu modo da rapidis irrita uerba Notis.
Nam quem accendisti miseris in mentibus ignem,
Extinctum lacrimis nunc quoque cerne tuis.

AD BLAESIAM.

A te Blæsia basiationum
Nobis millia mille cum darentur,
Aegra ecce, ægra anima ad labella uenit,
Itura aëreas repente in auras,
Ni mellitulo ab halitu retenta,
Rursum uiscera ad intima excidisset.
Quare dehinc magis, ac magis, magisque,
Dedo lux mea me tibi, hoc ob unum,
Quod mors iura tulit, tulitque; uita
A te Blæsia basiationum
Nobis millia mille cum darentur.

EPITAP. ANTONII BALII.

Dum uagus Argiripam, Lacedæmoniumq; Galesum,
Et prætenta cauis fluctibus arua legis.
Te patrii, tellus armentosissima, montes
In proprio subeunt iam cubiture toro.
Pallida longæ ubi mors finis uitæq; uiæq;
Inuidiam faceret sic quoq; dura sibi.
Ni modo parta quies tibi certior ante laborum
Det patria fessum commodiore frui.

AD CHRYSIAM.

Irascar licet usq; tibi, & mala plurima dicam,
Ne ualeam, efflictim te nisi lux mea amo.
At multu de me ipsa taces quia semper eodem,
Dispeream, infensum Chrysia me nisi habes.

IN HILVM.

Quid me intueris irretorto lumine?
Garris quid huic in aurem, & huic?
Paruissimus, turpissimusq; homuncio.
Quid dico? tu ne homuncio?
Spurcissimus Cimex, maleolentissimus.
An gibbus ille narium?
An aurium, in pectus sepultum illud, tenus
Exasceatum uix caput?

Hircina num ne barba, equini num pedes,
Num turgidum me crus uetet.
Pedunculosa quin statim rapiam coma,
Puerilibusue his uestibus,
Et hac rotatum centies mittam manu
Supernolantes ad grues?

AD FVRNIAM.

Furnia iam non es, sed funia, perfida per te
Nempe quod indigno fune necesse mori.
Et tibi carnificis mores durissima cum sint,
Crede mihi non es Furnia, sed Phonia.
Sæua quod infligis misero noua uulnera semper,
Hic tuus, est aliud quid, nisi funus amor?
Hæc ne meæ fidei merces? hæc debita amanti
Gaudia? cuius amor, funera, mors, laqueus.

AD IO. HIERONYMVM RVBEVM

Quod doctus, quod auis potens, & auro,
Quod multus tibi & hinc cliens, & inde est,
Quod felix pater, & beata turba
Quod fratrum, quod item uirile, & ingens
Cor, frons'q; integra, quod pius'q; es, & quod

Me non negligis, aut nihil putas me,
Quanquam nec mediocribus Poëtis
Peto proximus esse sed secundus,
Verum amas, ut amas tuos, putasque
Meas esse aliquid deinde nugas.
Ego iis te inuicem amo magis, coloque,
Quamquæ propter amat, colitque uulgus
Vulgus & sibi, & alteri infidele.
Enimuero eadem quoque illa multos,
Hæc certos tibi comparant amicos.

IN EVNOMVM.

Lentus inire fugam, posita celer Eunome mensa es,
Cruribus Eunome edas si sapis, ore fuge.

AD PAVLVM TAVRELLVM.

Dum forte Lalagen dicis, & Lyram docta
Dum tendis arte nobilem.
Mouere uerticem iuga ad sonum, ac flauos
Firmauit amnes Nicia.
Quod contigit post Orpheum licet nulli,
Maiora longe sunt tamen.
Nam saxa surda præter, & superborum
Cursus citatos fluminum.

Et dote rara formæ, & artium cultu
Mortalium trahis genus.
Moresq́; uirtutesq́;, Paule mirari
Et cœlites cogis tuas.

SPARTANVS PALAESTRITA.

Non patria est Messana, Argos non diues equorum,
Sparta mihi, Sparta est fortium alumna uirum
Iis superare dolo uirtus, nos fortibus ausis
Vincimus, ut duris mos lacedæmoniis.

SOMNO.

Olmee Musas uitreis teneas licet
Vadis, & unda Sisyphi
Leuis, sonante lympha, qua salit, pede,
Premunt madentes dum comas,
Ac membra mobili choro stagnis lauant,
Indulge uati, qua simus,
Sagum deorum dicimus dum nuncium.
Amica gentium salus,
Quiesq; diuinissima, Astreæ genus.
O Somne pax rerum unica,
O maius ocium omnibus negociis,
Spei minister optime,

Idem popellum, idemq; regem recreans.
 Qui numinum sententias
Rite expiatis mentibus subinseris,
 Silens silentes & doces
Ventura, dura quæ trahit necessitas.
 Idem Tonantis lumina
Cunctantis haud iners natantia soluere,
 Amore mœrens perdito.
Quanq; pigro parentis in caræ sinu
 Vix abditus fugis minas.
Cura inquies, cura inquies, quid non potest?
 Non sic camino clausa uis
Vulcania olim, aut fulminis furit uapor.
 Te terra nocte Lemnias,
Te habet die, formosam amas dum uirginem
 Veneris sodalium deæ.
At Iuno supplex, res Pelasgum ab aere
 Miserta fractas cæsio.
Saturnio noctem negantem effundere
 Peruicit omnibus modis.
O grata naturæ, & decens reparatio
 Age Somne, age, inquit, strenue, &
Sagax Prophetes, impigerq; cœlibem
 Vel protinus uitam exue.
Iugi prece en petita uirgo candida
 Adest Charis tibi, uelut

Aurora uultu mane subrubet nouo,
　Parui ue Nepyli rosa.
Vix dicta, facilem præbuit cum se deus,
　(Quis enim negare ultra audeat?)
Et lætus annuit, dehincq; uirginem
　Beatus ut cupit, capit.
Inopinus interim Iouem pressit sopor.
　Sed intuentis iam uirum,
Hic, Veneris in cor gutta stillauit prius.
　Iam, iamq; diffindi diem,
Doletq; inanes longius trahi moras,
　Furoris impatiens noui.
Cedebat alto Delius uolens polo,
　At ille lenis irrigat
Per membra sese uirginis, nec cingulum
　Segnis manu dissoluere.
Velut propinquis cera flammis liquitur
　Extrema Amoris linea.
Salue, improbus quem nullus excitat labor,
　O fraudis inscius malæ.
Seu ianua uelis fluere cornea,
　Elephanto amas seu nobili.
Interpres ingens numinum, uolucribus
　Alis ades, medium tamen
Terens iter, cornu aureo insignis, tuum
　Descende munus promere.

Et me foue alterna quiete languidum,
Curisq́ solue atrocibus

AD SOSYLVM.

Ferre olidum mihi ſæpe hircum te poſſe negabas,
Nunc temet, quæſo, Soſyle quomodo fers?

AD TYDEVM VGOLETTVM.

Auxerat imperium mundo gens nata regendo,
Aequabatq́; aſtris martia Roma caput,
Cum propria linguæ tumefacta uolubilis aura
Inſultat, neq́ adhuc Græcia tota ſedet.
Oppoſuit ſeſe magno conamine Tydeus.
Nec tulit Argolicis Itala regna premi.
Macte nouo eloquio Tydeu, te uindice pubi
Dat latiæ uictas Attica Suada manus.

AD PEPLIDA.

Tu es, tu heu ô Pepli es illa? an ô Pepli illa?
Quam ſemelq́, iterumq́, ſæpiuſq́;
Tota errauimus urbe quæritantes?
Dum acti deniq́; ſomniperdo aſillo
Noctem exegimus hanc negocioſam

Ferentes modo corpus huc modo illuc,
Illa rursus, & illa item, hacque sponda,
Tantum erat uetitam sitire lucem.
Meum, Peplida uti niderem ocellum,
Iocos, nequitias, facetiasque;.
Meum Peplida amorem, amarum, eandem.
Vulnus peplida, opem salubrem eandem.
Qua quidem sine, regna, opes, & auri
Quicquid est, nihili usquequaque pendam.
Et tu heu ò Pepli, an ó Pepli, illa es? illa
Qua nulla asperiorque;, duriorque;,
Nec spernax mage amantium puella.
Quam non uiderim heri? diem integram, heheu
Crudelis satis & parum erudita.
Nescis quae mala, quamque cladem amanti
Interdum afferat anxio breuis lux.

AD FVRNIAM.

Dum uires Natura suas metitur & omnes
Iam proprias in te Furnia fundit opes,
Orta deas inter, toto lis maxima caelo est,
Dum certant natae, quae meliora ferat,
Dat tibi Iuno oculos, nigros dat Leda capillos,
Pulchra Idyia genas, Luna supercilium.

Aurora

Aurora articulos, suras Thetis, Aurea blandum
Dat dea sermonem Suada, Diana humeros.
Hora annos, animum Themis, ingeniumq; Minerua,
Candida marmoreum pectus Acidalia.
Abfuit hinc regis diuum Clementia iussu,
In cunctis ne sis Furnia par superis.

DE THEODORO GAZA.

Quidam inuicem cum dicerent, per somnium
Hieronymum olim Dalmatam,
Ciceronianus quod foret, cesum flagris.
Solutus effusissimum
Caza in cachinnum. Maxima inquit Dalmata
Iniuria, hanc noxam luit.

TVMVLVS TADIAE MATRIS.

Quænam hunc ad tumulum luges? Charis. Et quid inanes
Tot lacrimæ? Moritur, ue mihi, quarta soror.
Nomine quo pater hanc? Tadiæ post funera matris,
Iulia quæ cara dicta parente prius.
Vix quater Anselmo quondam connixa marito
Incolumis, quino est pignore facta parens.
Sis felix nulli mulier cessura priorum
Mente, pudicitia, dote animi, ingenio.

DE TRANQVILLO MOLOSSO.

Nocturnum adesse in hostem
    Sodalium mihi manum parabam,
Trepidantibusq́ multis
    Nutantis aleam subire fati.
Hos increpans, & illos
    Horarum amicus omnium Molossus
Sic est loquutus, omnes
    Illius ergo uenimus sodales,
Ignauus hic, nigerq́
    Cui uita caro pluris est amico.

IN BOREAM.

Deformis Boreas, humeroq́; enormis utroq́; est,
    Forma nimis Boreæ moribus apta malis.
Fœnerat, & mendax est, & periurus, & exlex,
    Iis quoq́, sed talem moribus esse decet.

AD CITHARAM.

Dic age ô Testudo, hilaro sodalis
    Grata conuiuæ, mihiq́; obsequuta
    Non semel Graia fideq́;, Italoq́;
        Dædala cantu.

Dic Melos longo meritum labori,
Sentiat tristes genitus Neæra;
Arrogans, quos hactenus obstinata
Transiit aure.
Fors inexhaustas miserata curas
Applicet nostris animum querelis
Ipsa, nec tantos sinet ire questus
Mitis in auras.
Cassitat saxis tener humor aspris,
Nec rigor molli improbus obstat undæ,
Atra, quo minus tereti fatiscant
Marmora gutta.
Conterit passu salit huc, & illuc,
Turba suspenso uaga dum procorum, &
Pulsat exultim rigidum puellæ
Limen amicæ.
Tunc sacer Phœbi paries te haberet
Laurea circundatam Apollinari,
Fumet hirsutæ femur & capellæ
Pinguibus aris.
Tu freto audaces dare prima solers
Aestuanti Terpsychores puellas
Thrace uocales moderante prono
Pollice neruos.
Cogis auritas iuga celsa fagos
Linquere, atque amnes rapidos reuerti,

Docta uel saxis gelido rigore
Reddere pulso.
Pristinos sensus, licet illa rupes
Gesserit uirgo nimis efferata
Mente Graiands, licet usq; amantem.
Temnere sueta.
Audiat tota memorata Cypro
Fata sæuæ Anaxaretes Neæra,
Noscat ultores scelerum beatos
Poscere poenas.
Dura quæ furens geminare crimen,
Dura quid peius potuit? precantis
Pendulum Zona potuit sequuta
Cernere guttur.
Alma quod spectans facinus Dione,
Marmori mens hæc magis apta duro est.
Dixit, ac dicto comes it fides, &
Protinus artus
Occupat cognata silex decoros,
Sæculo exemplum memori datura,
Turpe, & ingratum superis, puellas
Perdere amantem.

DE LINO.

Vt Glycere cædem audiuit, disiectaq; uulgo
Colla Linus, sparsamq; inimico ense animam

Nunc manuum flictu late loca, nunc ululatu
 Turbat, nunc amens undique tela petit.
Tela negant famuli, Eia, inquit, nos tela negant,
 Inueniet iustus iam merita arma dolor.
Non lucis Glycere absumpta, tam cæca cupido est,
 Nec lacrimæ minuent, me, neque Acedia iners.
Dixerat, & luctantem animam in fata ultima glutit,
 Aera nec posthac dat ue, trahit ue Linus.

IN ANDANIAM.

Cur frustra prece, cur ue me tabellis
 Torques Andania? atrum, atroxque, monstrum.
 Pulchram linquam uti Peplida, ac te amem, te
 Turpem gibbere, & ore, faucibusque;
 Inæqualem, oculosque grammiosam,
 Rugosam, hirtipilam, atque panticosam.
 Linquam pro te ego Peplida? an ne ego ipsam
 Meam Peplida? abi scelesta, nondum
 Iuraui Samothraciis Caberis

AD HYLVM PVERVM.

Infelix nitido dudum pulcherrimus ore
 Hyle puer, blando blandior Hippolyto.
Quis doleat pressos molli lanugine uultus,
 Vel teneras barba diriguisse genas?

Gratius arripuit puero decus aduena pestis,
Obsedit q(nefas) Gallicus ora furor.
Forsitan in longos aliquis promisserat annos
Gaudia cum puero multa futura sibi.
Hunc uidit uultu toruo Rhamnusia, tanto
Perfida nec quenquam surgere passa bono est.
Stultus in hanc, potuit quod heri, qui distulit horam,
Quid sero immineat uespere, nemo uidet

AD SABINVM.

Getulus ille noster, ille quem nosti,
Vir promptus, & dicaculus, uafellusq; est
Idem Poeta extemporarius solus
Eruptat uno mille spiritu uersus.
Affabilis, blandus, iocosus, urbanus,
Salutat hunc, arridet huic, adulatur,
Hunc palpat, amplexatur hunc, manum prensat,
Alloquitur unumquenq, comiter laudat.
Nemo unus ut iucundior sit, & cunctis
Sit suauior, uenustiorq, dum coram est.
Vbi uerteris (pro Iuppiter) gradum, ille idem
Tam facilis, innocensq; qui uidebatur,
Quæ liuidus non ingeret mala, & quem non
Rubiginoso incesset efferus dente
Multos sed Hercle hodie est uidere Getulos,

Pleriq; sic sumus Sabine, nimirum
Omnes libentius ferimus in tergum.

MARS IN PRODITOREM.

Quis clypeos Martis pictos, infractaq; tela
Postibus aptauit? quis Galeam incolumem?
Sint ingrata procul nostro mala munera templo,
Talia femineis apta magis thalamis.
Me cruor, & fractæ fragor hastæ, meq; uirum ui
Tronca arma, occisoq; & spolia hoste iuuant.
Tollite degeneri sub proditione parata,
I gnauos odi Mars homicida homines,

AD VIRGINIAM ANSEL-MAM FILIAM.

Quid Virginia, quid facis pusilla
Lasi sic male amica dormienti?
En uibrat caput, excutitq; sese,
Rictum io aperit, micant io aures.
Fer, pedem cita, confer huc gradum, eia
Ah ah Lasis inepte, inepte Lasis,
Sic sæuis? quid agis? morare, age, audi,
Nescis hanc dominæ esse inepte pupam?
Ve ue, hoc si tua hera audiat, peristi.

Ne fleas, redi, abit scelestus, adsis
Bella pupula, bella mi puella,
Lasis, nam malus ille fugit, ille
Lasis pessimus omnium catellus,
Quiq; & nocte latrat, dieq; mordet.
Est pusilla Lycisca, Hylas pusillus,
Blandus est enim utercß, utercß amicus,
Qui nec nocte latrant, dieue mordent,
Verum nocte cubant, dieq; ludunt.
Porge huic manum, & huic manum appetenti,
Et tuto teneros lacesse hiatus,
At ualde uafer, & proteruus ille
Lasis, maximam eat procul malam in rem.
Et tu lude puella, lude paruis
O Virginia parua cum catellis.

EPITAPH. IANI MOLOSSI.

Dat uiolas turbata tibi Brixilla capillos,
Lilia cana noui Sentia uatis amor.
Dat puer & puero suspiria Morosinus,
Et capitis tonsas dat Viarolla comas.
Ipse rosas, ipse hanc cultis, & Amaracon hortis
Spargo, dolor patrui, curacß Iane tui.
Tunc profugus regni primum dispendia auiti
Senserat, ah moriens altera damna facis.

VI

Heu quantum raræ indolis, & quantum instar in uno
  Aeacidon, quantusq; in puero oris honos.
Improba Mors, nulli numen placabile, de te
  Vox spolia ipsa tamen uatis opima refert.

AD DEAM MENAM.

Tua ad limina Mena, menstruorum
  Et præses dea sordidorum, & auctor.
  Supplex Plexiope peculiari
  Ponit munere Subligaculorum
  Congestos modo putidorum aceruos,
  Et sudaria fracta, fasciasq;,
  Cuncta, & mensibus apta colligendis,
  Attrita, ac lacera, imminuta, adæsa.
  Et Dicit, Tibi res tuas habeto,
  Nam flos aruit omnis, & seuera
  Subleuit mihi pessime os senecta.

TVMVLVS ERYCIS ANSELMI MEDICI PROAVI.

Inuicto clarum referens genus Hercule ab ipso
  Cessisti annorum pondere pressus eryx.
Nec tibi Tartarei exarmata potentia regni
  Profuit, aut fatis imposuisse moram.

Quippe artes, genus, extenti & rarum decus aeui,
In uanos tandem uersa abiere Notos.
Serius huc ferimur, citius'ue, eadem ipsa terenda;
Est uia, sunt aliud quid, nisi bulla homines.

DE LATINO ET LYCORIDE.

Rogas Latinum cur Lycoris respuat?
Optare coepit liberos.

IN DIEM LVSTRICVM HIPPO LYTI ANSELMI FILII.

Huc Nutrix propera, atque laeta auitis
Vinum funde reconditum lagenis,
Iunoni, Genioque, Ruminaeque.
Euge obe, o pueri paterni ocelli,
O Virginia, Iuli, & Herculille.
Euge obe, euge io obe, fauete uotis,
Dies Lustricus est, fauete, dictum est
Nomen Hippolyto. FI. euge, obe euge, obe euge.
Huc Nutrix propera, & benigna paruo
PA. Ride Delia alumno, Alumne obe euge,
O euge Hippolyte. Fi. euge, obe euge, obe euge.
PA. Ride Deliae alumnule ipsi, obe euge.
FI. O Euge Hippolyte, euge, obe euge, obe euge.

PA. Sit læta Hippolyto puertia, & sit
Obe sera, age io, senecta eidem,
Sit recti studium tenax, & æqui.
Euge dicite, obe euge, obe euge, obe euge
FI. Euge dicimus, euge, obe euge, obe euge,
PA. Titoni minuat senecta & ipsum
Immunem scelerum parentem & ocii.
Euge dicite, obe euge, obe euge, obe euge.
FI. Euge dicimus, euge, obe euge, obe euge.
PA. Sic diu uideat, diu beatus
Et natos pater, & patrem nepotes,
Euge obe, geminate obe, euge obe, euge.
FI. Euge obe, euge io, obe euge, obe euge, obe euge.
Euge obe, euge io, obe euge, obe euge, obe euge.

DE IOVIANO PONTANO.

Pontano quisquis fieri studet æmulus, auras
Icaria tentat conditione sequi
Seu pedes incedit, celeri seu fingit asillo
Astra, elegos, acri uel fera bella tuba
Surgit ut horrisono Eridanus cum murmure præceps,
Hinc stabula, hinc armenta, hinc sata læta trahit.
Nec pluuias collegit aquas, sed gurgite uiuo
Voluitur & propriis fluctibus exit humum.
Tam magis hic priscis fundi sublimis honore,
Illum quam tulerunt sæcula posterius.

AD TVLLAM.

Impurus ore hic cuiratus Loripes
Scit Cento, Tulla, quid uelit.

HORIS.

O blanda natali & quid agam die
Sospes, Camænis scilicet unicis
Addictus Euterpe? Lyraq;
Psallere callida multicordi.
Hic læta uitæ, hic tristia, temporum
Iam iam cadenti sub numerum dedit,
Moresq;, lucisq; haud suprema
Est trepidare aliunde fata
Quare uel Horas, uel Genium mihi
Placemus hornis frugibus, aut nigro
Vtranq; Latonæ Lyæo
Progeniem generis parentem.
Primum sed Horas temporis arbitras
Quarum æqua, proles Iapeti nocens,
Momenta, tristi nunc querela,
Nunc prece corripit insolenti.
Quanq; quid Horarum heu querimur fugam?
Si pernicaces perdere sæcula
Non uiuimus, sed uiuere olim
Dum cupimus miseri, perimus.

VI

Cyboria appone ó puer, expedit
 Fregiſſe noctem continuam mero,
 Deſintq; nectendis nec alba
 Lilia, nec Violæ, coronis.
Vos quarum Olympi ad lucida limina
 Nocte excubare eſt muneris, & die,
 Vos dicam io Irene, & beata
 Eunomieq;, Diceq;, magno
Quas plena quondam rege hominum, & deum
 Eduxit auguſto augurio Themis,
 Rugarum inexpertes, & æui in
 Diſſimiles rapientis annos.
Veſtrum bona omnes eſt dare per dies,
 Veſtrum tueri, tum quoq; par manu
 Penſare cunctis hoſtimentum
 Munifica, dupliciq; ſorte
Duxiſſe ueſtrum eſt ſemina diſſona,
 Nexu grauentur ne qua duellico.
 Sed lance diſcretis ſub æqua
 Paxq; bonis, ratioq; conſtet.
Vos ludit inter Perſephone nouos
 (Parcarum enim ſic lege potentium
 Præſcriptum, & æterno tonantis
 Imperio, ſuperumq; nutu)
Luſus, neque abſunt hinc Chariteſq; ſo—
 Lutis decentes ter pede cingulis.

Pulsare humum, si quando matri
Frugiferæ placitura uirgo
Plutona linquit, protinus ad Iouem
Vestita uernis dædala floribus
Circonstat Horarum, sorori
Ac teneræ comes it cateruа.
Sic ô Caduci ignara periculi
Cœptum citatis perfice iter choris,
Secura, mortales quid ægri
Sollicitent sine fine, diuos.
Non est malignis uos precibus meum
Vexare sanctas, non querimoniis
Obtundere, aut uotis pacisci
Ne celeres referatis annos.
Gaudete dignæ magnanimo patre
Horæ benignæ, consulam ego boni
Quæcunque præsentes feretis
Desidiæ impatiens, & oci.

IN MARCVM ET VERREM.

Cum Verrem laudas, cur damnas Marce Cethegum?
Furta tibi, sed non uis uiolenta placet.
Sacrilegus cecidit tuus ense paterque, trifurque
Frater, utroque domus quam bene nota tua est.

Ecquis auum Verris latronem nesciit? olim
Cum triuit miseros una ruina Lares.
Te cum uerre manet populi furor, iraq; diuum
Sera, manu quæ te mox grauiore premet.
Nam bene quid faciat nosti nunc perfide uerres,
Deinde scies, & quid Marce Cethegus agat.

AD AELIAM.

Amo & te Aelia, amo & tuos lepores
Mediusfidius, tuosq; ocellos.
Amo roscida adhuc labella, & illos
Lusus, nequitiasq;, gratiasq;.
Noli irasci anima ab re, & immerentes
Hos uexare diu, & diu capillos,
Alterum aut meditator ultra amorem.
Nam quid commerui ipse? quid ue feci?
Te unam si, Aeliam amoq;, filiamq;.
Amo enim Aeliolam alteram, tui illam
Sane tam similem, ipsa quam sibi illa
Est sui similis puella, gratus
Iam satis scio, me fefellit error.
Est sanguis tuus, est puella imago,
Et tu cor meum es, & puella ocellus,
Quis radicem amat, & cacumen odit?
At tu ignosce, duas neq; esse dices,

Vnam per Iouem amare me putabo.

HOMERVS IN CITAROEDVM.

Quis mea femineo, meditatur carmina plectro,
Quis turpe fescenninæ opus licentiæ?
Fulmina cum dextra molitur Iuppiter, & cum
Suprema mundi templa tonitru concutit
Tuncq; Meletæas licet immiscere procellas,
Aptentur alia fidibus, & citharæ modis,

AD LAELIAM.

Perfida, acerba, meum amisisti corculum inepta
Dum tecum astragalis Lælia ludit amor.
Quæ tibi mens nostro ingrata est de corculo? ubi est nunc
Depositiq; fides corculi, ubi & ratio?
Sume animam simul, atq; illum importuna lacesse,
Restituatq; meum Lælia corculum Amor.
Heu uicisse animam immitem illum etiam meam amorem
Narras? nec tanti usq; est perditum sceleris?
Tolle oculos, oculos si uicerit, ò miserum, ò quid
Excordi, sine luce, exanimo, reliquum?
At lusisti animam post corculum iniqua, & ocellos
Ah ne suspirem, ne mea damna fleam?

De fortitudine

DE FORTITVDINE LACAENAE.

Spartana post sodalium ut nouit necem
Liquisse pugnam filium.
Illum furens repente ferro, sanguinis
Tansadigit immemor sui.
Claros enim, carosq; matribus facit
Virtus Lacaenis, non genus.

IN BRIGANTAS.

Claudite coelicolae portam omnipotentis Olympi,
Arcibus aetheriis Iuppiter adde fores.
Iam mare, iam late terras ditione Brigantum
Sceptra tenent uictas, caetera ad astra uia est.

AD PALAESTRAM.

Nolis, si quid amas adhuc mea ossa,
Nam carnem, atq; animam abstulisti, & ipsa
Vix semiusta mihi ossa iam supersunt.
Nolis nequitias Palastra mi ullas
Huic uappae facere, aut pati te amari
Ab insulso homine isto, & infaceto.
Nam tuo male semper est amanti.

Cum tecum ille iocatur, aut renidet,
Vel tangit, uel adest, uel intuetur,
Nec mi post biduo potest bene esse.
Non possum secus, inquies, uir hic est,
Qui puella uiro diu negarim?
Causare at stomachum modo, caput ue,
Atq; acris modo dentium dolores,
Vel si non licitum negare, differ.
Nam te quicquid amat ue, basiat ue,
Vel tangit, uel adest, uel intuetur,
Tuo hoc hercle Palaestra, crux, amanti est.

IN MARVLLVM MARTIALIS.

Peccauit qui ferre oleum te dixit in aurem,
At tu oleum, ne quid peccet, in ore feras,

IN DIEM NATALEM IVLII ANSELMI FILII,

Iam quarta canis horret hyems comis
Arguta quassans tempora stiria,
Laenaq; uelatus bifrontis
Hippotadae soboles December.
Ex quo audientem cuncta Hyperionem
Primis sequutus quaestibus, improbam

Ferre insolens lucem & uolucrum
Iulius indocilis dierum.
Exclude pigris frigora mensibus,
Ne ligna desint, ne ue Scyphus capax,
Hunc uina ad usum Sentianis
Prome quadrima puer Dyotis.
Nobis precatus Sospite non semel
Multos Decembres, sospite Iulio,
Longumque sera iam nepotes
Ferre sinu incolumes senecta.
Tunc me caducam supra hominum rear
Efferre sortem cinctum hedera caput,
Nec iura caligantis orci
Iam totiens metuam renatus.
Quin hoc quod ætas nunc putat inclytum,
Ridebo, pendente undique ad oscula
Turba nepotum, Julioque;
Mille nouos referente uersus.
Temnant ut amnes Orphea Thracii
Fœtus trahentem pollice Tigrides,
Rupesque; Pangæas, & Ornos
Præcipites glacialis Hemi.
Nec iam spe inerti deuius Abduam
Contra sonantem brachia dirigam,
Composque uctorum, & malignæ
Inuidiæ, & cinerum superstes?

Finis.

GEORGII ANSELMI NEPOTIS EPIGRAMMATON AD LATINVM BELLIARDVM LIBER SEPTIMVS.

Ade, & Latinum conueni nostrum Liber,
Dic illi in aurem, has uelle nugas ultimas,
Et si meas nondum impleant aures satis,
Illius ante nuncupare nomini
Quam Romuli petat uetusti mœnia,
Et purpuratos conferat sese ad patres.
Nimis sed acrem me uereri iudicem,
Altæq; acumen mentis exhorrescere
Nam stribiligines, & infacetias
Vatum nouorum abominatur, Atticis
Terentii dum salibus, ac negociis,
Iocisq; Plautinis inhæret sedulo.
Verum si amicorum, ut puellarum, uelit
Ad uitia conniuere, amare næuulos,
Natura quos humana cauerit parum.
Clam non in aurem, luce sed palam liber
Vade, ac Latinum conueni statim meum
Veterem sodalem. Nanq; nostra hæc tam bona
Futura sint, quam fecerint, qui nos amant.

AD SOSTHYRIDA.

Dum te ego Thesaurum, dum me Sosthyri palumbem
Dicis, tunc miser heu maceror, heu morior,
Basia sed labiis dum figis suauia hiulcis,
Hincq; traho dulcis tenuem ego florem animæ.
Spiritus oris iter nostri quia sentit apertum,
Totus in ora idem mollia anhelus abit.
Sic adeo infelix languens malesano in amore,
In te cum uiuam, dispereo ipse mihi.

DE MEMMIA.

Quod mella Attica, mala quod, puella
Sueuerunt redolere morsicante.
Mus quod Muscus, Eous & quod, annum
Phœnix dum renouatur in sequentem,
Quodq;, & sollicitì legunt Zygantes.
Mei hoc Memmiæ amoris, os beatum.
Quod bullantibus incitatus undis
Fons dum collibus exit è supinis
Alpinas quod & inter acta fagos
Adulto meditatur Aura uere,
Quod uertigine mundus uniuersa.
Meæ hoc Memmiæ amœna uerba, uoxq; est.
Hæc possum tibi comparare cœlum,

Hæc terra & tibi, Formæ enim, & pudoris,
Et raras fidei, ingeniq; dotes,
Quis nulla est (puto) uel secunda, uel par,
Nec terræ uolo comparare, nec Dis,

EPITAPHIVM PIERII NEAPOLITANI.

Cui Rhodanus, spumansq; Liger, rapidusq; Garumna,
Et sparsum aeria cessit in Alpe gelu.
Occubui puer ignotis correptus ab undis
Pierius, domini speśq;, dolorq; mei.
Nec mihi Parthenope clausit caua lumina mater,
Sebethus ue parens ultima dona dedit.
Ipse meos cineres humili sepeliuit in urna,
Obsequium proprio in pectore seruat herus.

IN MORTE LAGERII CASOLLÆ

Tam multis data uita, cur tibi uni
Non suffecit? auarus in te haberi,
Largus usq; adeo, atq; liberalis
Iam posses, meliora ni sequutus
Hæc parum tibi firma indicasses.
Vale ergo, ordine eo subinde te nos
Quo Natura uolet, sequemur omnes.

VII

AD PEPLVM.

Tot rara, ac tanta in te, & tam generosa uidendo
Hei mihi deficiunt cur geminæ hæ acies?
O fierem Inachiæ custos mea Pepli iuuencæ,
Nostra neq; obtegeret lumina somnus hebes.
Sæpius aspiciam in te, spes mea sola, salusq;,
Vt bona luminibus innumera innumeris.

IN GALBAM.

Hircosus iste, crispulus, senex, blæsus,
Non falsus ignorantiæ paternæ hæres
Et æmulus professione mendaci
Dum strangulat cruentus hos, & hos, atq; hos,
Animasq; uendit innocentium ægrorum,
Nec iam capacem his artibus gulam explere,
Quæ Bætylon gula deuoraret, ipsumq;
Velare nec potest minutulum corpus.
Repente se ad parasiticam miser uertit,
Ac fronte perfricta inuocatus ad cœnas
Accurrit impudens Catillo, nec sannas
Ciconiasq; abhorret ultimæ plebis.
Tam frigidus scurra, infacetus, insuauis,
Quam infaustus ægris esse carnifex fuerit.

AD CHRYSIAM.

Vrit me facibus Chrysia feruidis
Dulcem Castalio nec patitur Lyram
Suspendisse sub antro
Quassum pectus amoribus.
Vrit, seu medio surgere de die
Visa est lucifero splendidior mihi,
Seu flauum dedit auræ
Crinem pellere mobili.
Qualis non Erycina aurea, mollibus
Sublimem repetit cum pueris Cyprum,
Qualis uel patris aula
Iunctis cedit Oloribus.
Heu flexit tetricæ Melanyon fera
Longis Iasidos pectora lacrimis,
Sed nos turgida leni
Flatu, tundimus æquora.
Felix ô nimium perpetuus sui,
Qui sortem ipse suam temperat arbiter,
Illi nec furor altus
In præcordia tenditur.

EPITAPHIVM AGNETIS ANSELMAE SORORIS.

Inflexæ mentis grauitas, unde exulat ingens
Sæuaq; origo malorum omnium Acydalia.

Et compar genus ingenio, & sine crimine uita,
Omnia pallenti puluere operta cadunt.
Nimirum ut discant homines nil fidere rebus,
Fati summa potest quas rapere hora breuis.

AD HIERONYMVM VALENTINVM.

Non prætoria iura, non auiti
Fasces, stemmaue nobile, aut curules
Tot sellæ, neque opes, neq; aurum equestre,
In te lumina tot uirorum, & ora
In præconia tam beata soluunt.
Sed quod tecum habitas, metumque, spemque,
Vana & gaudia reiicis, domasque.
Atque unum hoc hominis probi, improbiq;
Præ cunctis hominem iuuare censes.

AD ANTONIVM CARPESANVM

Noctua pauper amat, cur litem, ue, æs ue alienum
Imprecer Antoni? Noctua pauper amet.

RVS SENTIANVM.

Iam contemnere opes uiator aude,
Nec Fastigia præterire malis

Augusti recidiua Sentiani.
Hic æstum, atq; sitim leuare sæuam
Fas riuo saliente, fons ubi illix,
Vbi garrula & inde, & inde, pictus
Suaue calculus excitatur unda,
Et modo hinc dea Sentia, & modo illinc
Sensa mentibus altiora spirat.
Iam contemnere opes uiator aude.

STVPORI.

Quis age occupat remissum iste nouus Stupor animum
Animum ocio remissum nimio, propere agite
Heliconiades, hunc optimum canite superum
Genus acre Noctis, pubi qui prior nemoriuagæ
Oculis remotum ab ipsis procul æthera aperuit.
Solaq; terræ, Oceaniq; profunda latibula.
Mihi fronte turgent recta deo cornua nimio,
Mihi coma erigitur effusa uentis Acerigera,
Abit ægra mens, anhelamq; domat furor animam.
Adamantinum ubi plectrum age, fides ubi querulæ?
Procul este ab aris profani, abite, fugite citi.
Dicam noua, arduum opus, orbis crepundia teneri,
Varias ut in figuras Chaos multiuolum abiit,
Sidera ut conscenderint in plagas auida rutilas,
Vltimo ut sedeant terræ medio sola refuga.

Truculenta tenuerit ut Nereus maria docilis
Variant quocunque Deliam, dominum ut herisque
Famuli solent, pedibus subsequi properantibus
Terris Deliam micantem notho lumine citimam.
Alat artus per omnes omnia tenuis animus,
Hominum unde genus, ferarum unde saecla fera soli;
Vitreumque monstra quae fert gemmeo aequore pelagus
Eruti cavis tam & si modo ilicibus homines
Vbi multipara sus, ubi Tigris celerigrada,
Ritu agebant ferino saecula, per nemora uagi in—
Via, agrestesque; sine more, sine lare, sine toro,
Rationis atque consilii mentae stupida inopes,
Neque quaerere rem partis neque; parcere item opibus.
Nullum adhuc officium, nulla relligio miseris,
Pietasque; nulla, frugi ne foedera amicitiae
Stabula ambiguo per gelida semine sobolem
Male cognita dabant patribus pignora propriis.
Vetita necdum ulla uindicibus scelera tabulis,
Adeo licitum quodcunque ferox ferat animus
Vlulatu interim femineo diem ire miseriter
Nemore conditi in opaco, & lacrimis ora lauere
Interimque gaudere ubi roseis sonipedibus
Hyperion umbram inertem noua luce reiceret,
Oculis diu sola penduli in aetheria suis.
Penitus latentium rerum inscii, ut uaga pecora,
Sibi quisque uixit in diem miser, & animi egens.

Tenebriosi sed en Silenti progenies sacra
Auresq; ceruinas, cornuaq; multifida gerens,
Redimitus horore stantes comas Stupor Acere,
Trahit attonitos simul per auia nemora dux,
Simul ò me, me, inquit, ò cælitum inanes sequimini,
Hilarate abactis erroribus, auspice me, animum,
Fera, abite, fugite trepidi, linquite iuga, agedum.
Ita fatus, cerulea in nubila celer rapitur,
Rapitur hominum, unà alacri properoq; pede cohors
Furibunda, anhelans, spiritu concita rapido.
Negat ilicet terram his nebula aeria stabilem.
Mente sed bona spumantem tunc pater undiq; pateram
Medio miscuit olympo pater & deum, & hominum.
Sicq; coactos præconio undecunq; grauisono
Etiam dat, atq; etiam accumbere celeriter
Poculis beatis, mortalia pectora, superum.
Quid ego octuplicē orbē? quid astra aurea? quid Helicē
Helicen malefidam Opi comitem nemoricolæ,
Helicen fluctibus succedere Tethyi uetitam,
Helicen graui cum mole impositam Herculeo humero.
Quid alta memorem numina propius uisa homini?
Mediiq; moles orbis unde solida tremeret,
Fragor & quid horrisonus secet aera uacuum,
Impetu unde sæuiant terribili Aeoliæ animæ,
Vbi concordia rebellis, quaq; Triuiæ iter, ubi
Lauit emeritos Cynthius genitor quadrupedes,

Subito nouis lingua uocibus barbara loquitur,
Superumq; sacris largiter ebria laticibus
Duce animo fundit altisona carmina nimio.
Pepulit ferociam plebs statim rudi ab animo hebes,
Didicitq; quid decor postulet, & ratio sibi.
Mœnia ui tuenda summa, populo etiam, etiam
Vetitis supplicia dedere merita sceleribus,
Desultoria quoq; legibus cohercita Venus est.
Vasta tentata tunc primum celeri rate maria.
Quid quod & strauit suprema oculis ætheria auidis,
Famulantibusq; stellis procul intulit aciem,
Positusq; fecit iis, colorem, nomina, numeros.
Adde quod bonis recepta tum relligio initiis,
Variaq; deis per orbem data Delubra superis.
Quis enim huic falsiparentem deo Amphitryoniaden
Bene compareť Corymbiferumq; femorigenam?
Tu Asiæ exitio secta grauem erigis Acere equum,
Tribuisq; solus mutis noua sensa lapidibus.
Nimio micant tuo cornua numine patulis
Frontibus, stat quoq; trepida attoniti coma capitis.
Ioue sentiunt loquente imperia tua Zephyri,
Domus alta simul diuum, simul spicifera seges.
Aether arduus, rapidiq; sali æquora feruida,
Getica Iliceta, monstraq; truculenta pelagi.
Ego Palladis bona intuitum auide ilia taceam?
Inopina nox cui olim caua lumina pepulit.

Ego teretes deæ uitreis laticibus humeros
Iuuenemq; parantem suis fera prandia canibus,
Tibi capita magniloqui deuouent hederigera,
Tibi uita, nullius mens tibi conscia sceleris,
Tibi Phorcys ore pectus armat uiperea truci,
Quæ Phorcys iterans multisibila capita minis
Grauiter profanos mysticis eliminat adytis.
Tibi diriguit Hemus, egelidaq; Rhodope,
Tibi ianitor ora subdidit tergemina erebi,
Mansuescereq; hominum corda piis nescia precibus,
Scilicet tuum numen omnia deniq; inanima
Penitus auditum sæpenumero obstupida tremunt.
Benefacta quisquis grandia tua dicere statuat,
O deus togæ, & duelli artibus optime maxime,
Ille siderum micantium, ille pulueris Erythræi,
Studeat anxium nequicq; subducere numerum.
Salue hominum recta mens, uiuidaq; sapientia,
Admiratio initialis, unigenitæq; animæ,
Decus & poli peræque rite, riteq; dominus,
Ratio eadem, eadem Natura, primigeniaq; lux,
Geniusq;, forsq; multiplex uagaq;, uariaq;,
Furor idem, Chaos idem, & idem expiatio potens.
Ades huc qua parte totus sapis, intelligis, amas.
Procul omnis hinc mei, abeas proculq; ab oculis,
Alios preme occupatos, alios preme stupidos.

IN MENIPPVM.

Mea uenditans ut propria, age Menippe dic
Vbi emeris nondum edita?

AD TACITAM.

Ego hoc ó Tacita osculum, hosq; ocellos,
Quos tango, intueorq; tam beatus,
Obtestor, tuum amantem ad ultimum usq;
Sopiti cinerem rogi & fidelem,
Et firmum fore. Identidem ipsa de me
Cogites uolo, somniesq; semper
Quando te inuicem amoq;, cogitoq;,
Meum ut Iuliolum, & meum Herculillum
Nam tuo obsequio, hoc, quod emori aiunt,
Nil est dulce magis mihi, aut beatum.
Habes en Tacita ò Sodalia, ut te
Excoli cupias, Numam, & uereri,
Quippe non aliter te amem, necesse est,
Quam carum patri amo hoc utrumq; pignus
Meum Iuliolum, & meum Herculillum.

IN PEREGRINVM IACOBI CAVICAEI.

Quæ dea fare? spei sum filia. Quod tibi nomen?
Fama. Quid huic hæres libro? operi faueo.

Cur selidas quatis? Excutio senium, At quid in astra
Tollis? Vt unà iterum docta per ora feram.
Quæ circunsiliunt comites? Amathusides auræ.
Qui pueri aspirant? Hic Amor, ille & Amor.
Prô quid centeno ore tonas? Oracula pando.
Dic mihi quæ? Quæ homines discere & inde queant.
Humanæ ut uitæ flos areat, & uarium uer,
Ni propera ingenii fata moreris ope.

IN GALBAM.

Et quid exiguissimum istum homullum,
Quis non negligat hunc planum helluonem?
Quem tenuissima pascit institura.
Cœnaq; à media petita flamma
Ventrem farcit araneantem, & istam
Saltatriculam, ineptam, & infacetam
Infaceto & agro infacetiorem,
Qui cum lusitat, atq; circulatur
Omnes per plateas, & officinas.
Et quid lumine me intuetur uno
Iste semiuir hirculus, puellis
Hinnit qui omnibus impotente amore?
Subbalbutit & interim, atq; mussat?
Spectet (si libet) & duobus, in me
Vt uult obstrepat & feram obstrepentem,

Dum non basiet

Dum non basiet, aut prope alloquatur,
Nec puro satis ore, nec pudico.

IN LIGVRINVM.

Mundior es, primosq; inter numeraris amantes,
Nec Ligurine tibi est illa, uel illa satis.
Nam Glycerenq;, Lycamq; petis, facilemq; Lycorin,
Nec tentata una blanda Bianna prece.
Te Glycere usq; uelit licet, & Lyca, & usq; Lycoris.
Audiat & longas blanda Bianna preces.
Tu tamen attingis nullam, sed adultera læua est,
Læua, facit quæ te sola sceleste uirum.
Tanta oris, tanta est natiui cura ruboris,
Non, ut amere, petis, sed petis, ut fugiant.
Desine morari, nam nil monstrosius usq;,
Nempe enectus homo est hic Ligurine rubor.

IN EGNATIVM:

Cum referas uultu Egnati, incessuq; parentem,
Matris palam mores facis.

AD LINI CONTVBERNALES.

Quid ociosi ac desides his tam diu
In ædibus trahitis moram?

Iamiam salaces deserunt mures cauos,
Et statis? exite ocius,
O non minutis, capita semper uilia,
Cordatiores beluis.
Iuuat perire? at maximo uestro malo,
Dignissimi, omnes per deos,
Domus cadauer, belluone cum Lino
Notissimo, quos obruat.

TVMVLVS LITAVICI TALIAFERRI.

Quas liquerit lacrimas Litauicus puer
Parentibus miserrimis,
Is cogitet, natum repente qui pater
Amisit orbus unicum.

AD FILIOS.

Cui uestrum uariam dabo hanc Volucrem
Dono Filioli? tibi ne Iuli
Iam nostri quod aui is puer per artes?
An tibi Hippolyte? an tibi Camille?
Sed præuertitur en Camillus omnes
Vos segnes pueros, petulculosq;
Tam bellam istam auem habere, tam iocosam,
Pro uestra haud meritos inertia, ecce

Pusillus satagit Camillus, & iam
Virgarum tenet ordines salignos,
Quos circumuolat & supra ipsa, & infra,
Frequentissima auis, uaga, anxia, amens.
Quam misit mihi muneri ille Cæsar
Michaelius, obsequentiores
Cui Musæ famulantur, & Cupido,
Seu iuncto pede, seu uelis soluto
Vt surgit deus optime, ut licenter
Exultat, fluit acer ut, Malora
Ceu præceps cadit amnis ab niuali,
Enodis, nitidusque, multiplexque.
Verum garrulam auem, & loquacem, & acrem,
Tibi bime Camille habeto, & istos
Procaces pueros suis remitte
Follibus, nucibusque, ineptiisque.
Hæc tot gaudia namque, totque risus
Nocturnas quot amara post palæstras
Fert suspiria, luce quando prima
Me Melis malefida dereliquit.

IN BAETYLVM.

Ad cœnam non uis, Cinam sed dicere, quod sit
Pinguius illud, & hoc uobiliore sono.
Nunne nimis ciuile istud? belle hercule belle
Non te morbus habet Bætyle, sed uitium.

TVMVLVS IAC. CAVICAEI.

Gradum uiator siste, festines licet,
Dispendium fiet uiæ non maximum.
Cauicæus omnibus bonis sat cognitus,
Probisq; laudatus satis, iam tradidit
Cursor quasi, qui Lampada hanc uitæ tibi,
Effœtus annis conderetur hoc solo
Exul si Amor, Reduxq;, Germani minæ,
Lupaq;, & Peregrinus sineret, & Cæsaris
Mœstæ urbium implorantium fidem preces,
Quis ora mille, mille anhelant pectora.
Gleba ter iniecta uale, & tot uocibus
Late loquentem, mortuum ne dixeris.

IN LINVM.

Iustitiam dum fier fingis Line, numquid inanem
Quam picturam aliud Iustitiam esse putas?

IN MEMMIAE IMAGINEM.

Nunne hæc Memmia amata, amare ut æquum est
Vnumquemq; fidem, innocentiamq;?
Et uelata comam, & remissa ocellos,
Verna candidior rosa, & ligustris.

Cesso lactea colla, colla utrisque
Illa, stringere centies lacertis?
Cesso os prominulumque, hymetiumque
Pressa suggere basiatione?
O sors credula amantium, atque fallax,
Demens uiuere imaginem putaui.

DE EVMELONE ET OLLO,

Nempe nolunt unum, nolunt quoque & Eumelo, & ollus,
Sit quasi Tantalea potus uterque manu.
Ore homines medios uorat alter, & irrumat alter,
Quo bene conueniant istud, & illud habent.
Parcendum dubiæ ætati, caluisque Cinædis,
Hoc est, quod fertur, Bis puerum esse senem.

AD PLACIDIAM.

Quod partes agis & tuas, measque,
Et non te pateris diu rogari.
Te uere placidam proboque, amoque,
At quod cum caluit pales Cytheræ
Ceu sub pondere deuolutus axis
Actutum querula ingemiscis, heheu
Iam non te placidam proboque, amoque.
Quare desine non bona augurari,

Ne uiuensq́;, uidensq́;, sentiensq́;,
Producam mea funera, audiamq́;
Vanarum misera orsa Præficarum,
Risum amat Cytheræa, non querelas.

AD TVTIAM.

Mentitur quotiens Chilo se iurat amare
Tutia, nempe odit te, tua quisquis amat.

AD NAVTILLAM.

Noli conqueri amica Cocciani
Nautilla, os male olere Cocciano.
Non enim est de homine, & bono, & modesto
Oratore grauissimo, optimoq́;,
Quod, me iudice, iure conqueraris.
Nam nil suauius est, magisq́; odorum,
Cuius deniq́; spiritum haurientes
Tam Seres facient fidem, q̃ Iberi.

DE CYNTHIO.

Carmina cum caneret querulas animantia chordas
Cynthius, & mira plecteret arte Lyram.
Obstupuit, iuuenemq́; diu miratus Apollo,
Talia suspenso protinus ore dedit.

Fallor? an ille ego sim? nostri ne simillimus alter?
Aetate, arte, coma, nomine, uoce, Chely.

AD IOANNEM HIERONYMVM RVBEVM.

Si quando longum dicere uos melos
Vmbrosa Siluæ quod iuga deniæ
Mirentur, oblitæq;, & herbæ
Et gregis immemores Capellæ.
Magni quod arbor populus Herculis
Cogatur alba, & lenta salix sequi.
Mardi quod amnes, ac fugacis
Schidoniæ fluuios moretur.
Nunc fas eburna est præcipue Lyra
Cantare mecum Sentiades deæ,
Quod audiant cœli remota
Antraq;, & Aetheriæ cauernæ
Cratosq; ab altis Iuppiter axibus
Nos pro futuro præsule sentiat,
Et sentiat regina Iuno
Iubilaq;, populiq; plausus.
Montana longe, læta remugiat
Vox gratulantum per nemora, & Petra
Responset Echo de n'uali,
Rupe uel àërii Fabalis.

Seu liberali dona reuoluimus
Parata paucis numine cœlitum,
Seu nos Quirinales mouemus
Cum Tyria lituos Tiara.
Nam rara te dos nobilis ingeni,
Moresq;,splendorq;, & genus inclytum,
Et fama maiorum,boniq;
Nobilitant studiosum,& æqui.
Mitra & lapillis quem grauis Indicis
Primis in annis,ac rudibus teget,
Tunc mitra,sed quondam superbum
Purpureo iuuenem Galero
Addet sacrorum concilio p[illegible]rum
Virtutis ardor nescius ocii
Inertis,& fœcunda mentis
Consilia,innocuumq; pectus.
Tantum memento ponere pristina
Fastidiosæ fræna licentiæ,
Ne sancta non se iactet olim
Roma nouo reparata cultu,
Cum sceptra habebis,cum solio aureo
(Sunt omnium ut rerum & numeri,& gradus)
Sedebis ingens,ambientq;
Tempora cum triplices coronæ.
Exempla q̃p q̃p siue domestica,
Vim siue Natura insitam,& abdita

Sectere Parmessi uireta
Quid monitore opus, aut magistro?
Tunc iam redibunt aurea sæcula,
Tunc Bactra sancti barbara principis,
Et infideles nationes
Lene iugum domitæ subibunt.
Ceruice flexa Thraces, & Indiæ,
Inculta pubes, Maurus, & Aethyops,
Parthiq;, pacatiq; Persæ
Iussa ferent, humilesq; Medi,
Tibiq; Thyle seruiet ultima,
Tuumq; Turcæ robur, & impii
Gens accola Euxini, minaxq;
Audiet Imperium Propontis.

IN HOMERI ILIADA ET ODISSEAM.

Cuius, & his quid inest chartis? Natæ inclytæ Oloris
Mæonii, pugnas pandimus Iliacas.
Altera Pelidæ iram, ac denos ducta per annos
Prælia, & immensum dextræ opus Hectoreæ.
Altera Vlyssea errantem, & suspiria inanis
Coniugis heu miseræ, tristia damna tori.
Viuite cum Musis, uestris cum cantibus olim
Vndenas æquum est degere Pieridas.

AD NENIELVM.

Pestani Neniele cultor horti,
Tuq; item ó Amarylli, & ipsa custos,
Casta pauperis uxor Hortulani.
Quotannis Violamq;, liliumq;,
Fiscellam & gracili leuem ex hybisco,
Meo Peplii nomine afferetis,
Hoc primum iubeo, uolo, scioq;.
Sertis deinde rosis corona fiat
Andæq;, Genioq;, Terminoq;,
Quam damnas quoq; Villicus dare esto,
Hanc aram, quam ego doq;, dedicoq;
Inuictissimo & Herculi, & Camænis,
Ritu hoc, legeq;, doq;, dedicoq;,
Fas ne sit facere hostia, sed ori
Quod fas, apposita fauento dextra,
Recta hæc rite, rata, atq; sancta, sunto.
Item uirq;, maritaq;, hanc ad aram
Proni cum facietis olim, uterq;
Quod poscit sibi, poscat & patrono.

EPITAPH. FRANC. MARII GRAP.

Emeritam hic laurum Aonides, plectrumq; lyramq;,
Grata tibi ex merito turba Grapalde dicat.

Vt tumuli misera erexit leue nomen inanis,
Soluit & ad uacuos ut sua iusta rogos,
Nam te nec fas est humili cohibere sepulchro
Tam rara insignem qui struis arte domum.
Redditæ ubi doctis uoces, uulgoq; receptæ,
Haud dubiam faciunt non obiisse fidem.

NENIA IN HIPPOLYTVM ANSELMVM FILIVM INFANTEM.

A. Quis tam repente te mihi
Heu matris heheu germen alterum tuæ?
Me me meo comitem, meo,
Quid misera nam meo superstes filio
Mortem quid orba demoror?
Paterna imago, matris alterum decus,
Quis ubera ista dehinc premet?
Et quis meis hinc conniuebit neniis?
Dormis ne? lumina an sopor
Nouissima urget nocte semiadopertula?
Quo me? quo amor uecors rapis,
O fata sæua, ferrea, inopina, aspera,
Repente concidit meus,
O mortua ora, ora, ò mea ora uiscera,
Gelidula, succiplenula
Non ista rursus comprimetis ubera,

Non colla complicabitis,
Nec iam ruetis hos deinceps in sinus.
O quis repente te mihi
Hippolyte mi, heu Hippolyte, matris quo tenax
Quonam memoria abiit tuæ?
Legisse cur non spiritum oris ultimum,
Et halitus nouissimos?
Lamenta cur non licuit haurire, auribus
Non haurienda iterum meis?
PA. *Nati quidem parentum anima, quod si negat*
Hoc quispiam, minus dolet,
Maloq; felix hercule infortunio est.

IN HELVM.

Mens leuis Hele, leuesq; pedes tibi, Certat uterq;,
Mens superat, currit pes citus, illa uolat.

IN DIEM NATALEM MEGILLAE.

Pridie, eia age, io, Decembris Idus,
Natalis dominæ, ohe, io puellæ,
Adest sospite Hera, eia io puellæ,
Eia io, euge age io, ohe Hera, ohe io ohe.
PV. *Ohe io, ohe io io, ohe Hera, ohe io ohe,*

AN. Et te tum altera tam serena cœpit
A trigesima io ó Megilla bruma.
Io io, euge age io ohe, io ohe, io ohe.
PV. Ohe io, ohe io io, ohe Hera, ohe io ohe.
AN. Pridie, eia age io, Decembris Idus
Adsunt, sospes Hera est, io puellæ
Io dicite, io ohe, io ohe, io ohe.
PV. Ohe io, ohe io io, ohe Hera, ohe io ohe.
AN. Affer Tettia trimulos deunces,
Turpe est præterita hæsitare in ira.
Ohe io canite, ohe Hera, ohe io ohe.
Pulchrum est sospite Hera madere amantem.
PV. Ohe io, ohe io io, ohe Hera, ohe io ohe.
AN. Viue io ohe Hera. PV. Viue Hera, ohe io ohe.
AN. Et formosa diu, & cupita nobis,
Sero ò cura mihi efficax senescas.
PV. Io io, euge age io ohe, io ohe, io ohe.
AN. Pridie eia age io Decembris Idus.
PV. Ohe io, ohe io io, ohe Hera, ohe io ohe.

AD DOMINICVM RIPALTAM.

Aonidum immortale decus Ripalta sororum,
Cuius in ambiguis scita, fidemque sequor.
Hæc tibi commendo exigui monumenta laboris,
Quæ creuere sinu nuda, & inerma, tuo.

Nam Probus in nugas nihil has, rigidum ue Crateris,
Vindice te, poterit iuris habere, iecur.

ETESIIS.

Auræ, Auræ Oceanitides
Siue hac sub salice, hac siue sub arbuto
Fontis margine uitrei,
Quo se fonte lauit Sentia, amabilis
Numen Sentia rusculi.
Aspirate sacris alma furoribus
Proles magni Hyperionis.
Antris Oceani clam bipatentibus
Tethys quam peperit dea.
Quanquam Flucticolæ quis negat haud malo
Fucum factum animo deæ?
Est longis sua iam meta doloribus,
Et suspiria habent modum.
Ah Phœbi quoties surduit ad preces
Casti Nympha tenax tori.
Ah diuum quoties abstinuit dapis,
Ignes ne adderet ignibus.
Sed quisnam uigilum industriam amantium
Vitet? quis fugiat dolos?
Stat mundo in uiridi, sidus atrox, Canis.
Aere hunc molliter extudit
Demonnesio (ita est creditum) adultero

Ioui munera, Tardipes.
Mox spirantem animos feruidum, aheneo
Fixit Iuppiter ætheri,
Detestata diu dira Geræstidis
Aegris sidera, dum solo
Prospectum, dum hominiq́;, & pecori uago
Diuis consiliantibus,
Olim posteritas ritibus annuis
Votorum coluit rea.
Vitabat dea nuda hoc rabidum iubar
Muscoso procul in specu.
Cum omnes, magna mouens Delius, omnibus
Pertentare aditus dolis.
Sed quid tunc faceret? nullus ubi dei
Iam desideriis locus.
Rimas ille uafer se dare per cauas
Paruos in radios legit,
(Nil magnis adeo imperuium amoribus)
Amplexu & fruitur nouo.
Amplexu intumuit diuæ uterus nouo.
Regnis interea fretu
Calpen perpetuo adscribit Ibericam, &
Mæotim Oceanus pater
Tentat iam uitream, & Sauromatas sequi,
Tunc matris tacitæ sinum
Explestis decimo sideris ambitu,

Spelæis procul abditæ
    Pigris, exiguas quippe animas uetat
Latos Oceanus patris
    Venire ante oculos, atq; sui palam
Spectari opprobrium tori.
    Cum uesper gelidus temperat aëra,
Et nox humida iam silet.
    Tunc o tunc miseris fas hominum deæ
Aspirare laboribus,
    Atq; afflare ànimos numine patrio,
Vatum numine fertili.
    Sic & Mæonii, sic Veneti tubas
Inflastis faciles senis.
    Et si quicq; humili nos quoq; barbito
Rarum, insigne, recens, diu
    Indictum ore alio lusimus, entheam
Vos suauissimi Etesiæ
    Mentem sufficitis, uimq; adamantinam.
Saluete äëreum genus
    Et sancto facite hæc flamine maxima,
Atq; hinc partem aliquam ad uirum
    Ferte aures precor, ò candida Apollinis
Stirps, & Tethyos, inclytæ
    Auræ, Auræ mihi cultæ Oceanitides.

GEORGII ANSELMI NEPOTIS IN .P. VIRGILII MARONIS DIEM NATALEM AD AVRELIVM FOSSAM SOSTHYRIDES.

Visnam fare age tam repente Fossa
Hic fesso furor? unde rapta Vati
Tanto mens fremit, aestuatq; motu?
Iani lucem propius tuemur almam,
Plectrum ubi aureum, ubi ipsa septichordis
Testudo? Deus, en deus iam anhelum
Pectus concutit, asperatq; thyrso.
Adsis ò dominus, deusq; noster
Qualem Parthenope uenusta quondam,
Qualem colle Lacon suo Phalantus
Sensit tendere barbiton canoram.
Adsis huc niueo uolens amictu,
Altum nil sine te inchoare fas est.
Et nos, & tua sacra dexter audi.
Quis centum attonito recludat ora,
Quis ò suggerat ò quis hic ahenas
Voces? & Siculas supra sorores
Iam iam immensa sequi det, & sonante
Plectro Sithonias mouere fagos
Dum te dum canimus, diemq; prima

Natalem ueneramur in iuuenta.
Nec te sperne coli leui susurro
Si non Luna uagos fugit meatus
Astrorum, aut renuit caui sub antris
Amnes Oceanus pater minores.
Vos uero hac salicis supina Nymphæ,
O Nymphæ mea cura Sentianæ.
Qua paruo uidet arua fons ab arcu
Mecum saxa super sedete in umbra.
Atq; huc deinde Padi parentis auram
Fer Brixilla leuem uenusta, nos te
Nam sat fleuimus ô superq;, & una
Communes memorauimus ruinas.
Et uos uulgiuagæ uenite magni
Sosthyronis alumnæ, & in mea omnes
Nunc sensa insinuateq;, & docete
Tanta hæc incipere unde me uelitis.
Est qua desinit acris in recessu
Apparere Bianoris sepulchrum
Campus, propter aquam eminente dorso,
Quem campum piger abluit superbo
Benaco fluuius parente, cannis
Prætexens genialibus capillos.
Hic & pampinea (deus quis ille
Incertum est) habitat deus sub umbra.
Sæpe hoc numina rure, sæpe in undis

Vidisse agricolæ. leuesq; circum
Credunt se thiasos sonantiores.
Primum uagiit hic Poëta, primum
Hic illi Charites dedere sese,
Hic blando dea Suada in ore sedit.
Nutricesq; sui sacræ Thyonei,
Quis pars optima dedicatur anni,
Et quis genua niuent corusca Tauro,
Ac uani meditantur Institores.
Nomen cui uiolæ rosæq; debent
Infanti tibi dant habere magno.
Quo assurgant Veneres Cupidinesq;
Et cui diiq; deæq; blandiantur.
Huc passim fluuialibus salictis
Ad natalicias repente cœnas
Conuenere Neæra, & Hybla, & Ande,
Leuceq;, Oesyaq;, & Lycina, & Ino.
Et Sosthyrides una inani ab amne
Quæ Lyra ad cyathos canunt bicorni.
Vna ò mœnia ò locata faustis
Fundamenta auibus beata, tuq;
O tu Mantua subleuare moles
Supra Pyramidum menicnto sumptus,
Ecce io, ecce tibi Poëta cœlo
Labens sidereo sacer, potensq;
Thressas pectine deuocare quercus.

Quem neq; Inachides Linus, neq; Orpheus
Vincat carmine, garrulis ue chordis,
Pan uero Arcadia sedente, iunctis
Si certet calamisq; fistulaq;
Pan uero Arcadia sedente cedat.
Pro diuum genus horreant coronas
Et Peloriades cicutæ, & Ascra,
Ascra io, Ascra tuas; quibus secundam
Iam Laurum Ausoniæ chelys reliquit.
Ipse es, ipse adeo trucem tyrannum,
Vultusq; Eumenidum seueriorum,
Vnus uincere qui potes canendo,
Qui rursum Euridicen potes morari.
Summittet tibi præpotens, sed uni
Atros belua centiceps furores.
Verum magne puer rudi susurro
Vel tunc carmina blanda lusitabis.
Monte & sub lapidum prius sepulchrum
Balistæ puer eriges, deinde
Nec te pœniteat Priapum, & ipsis
Deductos elegos dedisse Musis.
Nec sis cum libet ora nigra fronti
Cantando addere (lotus idem aceto
Mordaci auriculam) minus disertus.
Tum propter Culicem pius Pöeta
Persolues genitus nouendiales.

Nec Ciris uolucres tacebis alas.
Et uæscum ut celebraueris Moretum
Tunc uota impia Batarem lacessant.
Dic mox cur glomeret per astra fumum
Mons fessum Anguipedem premens Typhoëa.
Dehinc & te patula latente in umbra
Musam Tityre rusticam, Galesi
Iam uireta Amaryllidem reclamant.
Formosum hinc Corydon refert Alexim.
Dametam Galathea dum uideri
Vult, malo & ferit, & fugit uicissim,
Lasciua ad salices puella amaras.
Hinc alter redit ordo sæculorum,
Nec te mortue Daphni carmen aurea
Vsq; ad sidera cognitum tacebit.
At uester patitur Lyæe alumnus
Suis deniq; uincla de coronis.
Ecce autem Corydonis ipsa Thyrsum
Alterno superat Cicuta uersu,
Tum Damona stupet canentem, in arua
Oblita & Cytisi iuuenca, & Erui.
Nam quis dic Galathea lusus, aut quæ
Insano in pelago tibi uoluptas?
Hic Gallus queritur leuem Lycorim
Perq; horrentia castra, perq; sæuas
Infelix alium niues sequutam.

Hæc satis cecinisse dum resarcit
Fiscellam gracili sedens hybisco.
Et iam Mopsopio leuatus axe
Abstergét sterilis soli ueternum,
Dicet quo segetes serantur astro,
Et quid Luna nitens tacensq; monstret.
Iam non Vlmus erit per arua celebs,
Tum cui frons camuro superba cornu
Toto pectore Taurus excitetur
In pugnam At celeri deinde cursu
Præuertat sonipes uolucris auras.
Rapturus medium fremens per æquor
Alpheæ sibi premium coronæ,
Hinc fundant glomerata longa uiuo
Aluo examina Apum, petantq; mella.
Iamq; hic Cynipheas agens capellas
Magno uiscera concitatus oestro
Transmittet sola spiritu, atq; sæua
Extemplo arma uirum canet, potenti
Insuetum resonans Poeta plectro.
Qualis sordidus ille primum Agaso,
Paruo mox meruit pedester ære,
Raptum torquet equum, quantq; in hostem
Hastam fulmineus repente Thruscum.
Tandem (ut dii uoluistis) imperator
Insubres ruit acer in bilingues,

Rerum scilicet, ipse iam potitus
Regnat per latias superbus urbes.
Sic primum profugas rates ab alto
Educet Siculo graui procella,
Dux Anchisiades, deiq; Troiæ
Errantes Libycas legent arenas.
Fati nescia quos bibens amorem
Phœnissa accipiat domoq;, regnoq;—
Ille hospes miseras Phrygum ruinas,
Et periuria perfidi Sinonis,
Seq; actum referet solo mariq;.
Tandem dum Capreas agunt fugaces
Dido & Dardanium nigrante nimbo
In spelæa adiget soror Tonantis,
Donec iussa deum sequutus undas
Cogetur uitrei uolare ponti.
Sed Phœnissa & amore uicta, & ipsum
Nequicquam profugum increpans maritum
Dabit se medios misella in ignes,
En rursus Siculas Phryges per oras
Eiecti, hospitium petent Acestæ
Dehinc ludos tumulo statos paterno
Sacris Iliacis pius frequentet,
Atq; altum relegens iter per æquor
Vix demum Euboicas prehendet oras
Quos manes per Auerna patris ampla

Quæret anxius, hos, & hos, & illos
Agnoſcet memor, exienſq; eburna
Laurentem incolumis tenebit amnem.
Reſtant prœlia adhuc, adhuc quoq; & nex,
Et tunc care puer tibi rigentur
Pectus Caſtalus & ora riuis.
Alecto en ſuperas ſalit ſub auras,
Et belli quatit aſpra Iuno poſtes.
Heros dum Arcadas armat, atq; ſecum
Tyrrhenum trahit acrium Phalangem
Nequicq; Rutulus Phrygum profanis
Pictas corripit ignibus carinas.
Iam iam infenſus adeſt parentis armis
Aeneas celerem fremens in iram.
Qua tellus nece tunc madebit, alto
Qui ſe in ſanguine & hinc & inde reges
Inuoluent, neq; io, neq; ipſa pugnax
Mezenti haſta, deus tuus, cruento
Te leto eripiet, comes ſed ibis
Heu nato tumuli, neciſq; conſors.
Quo præceps rapitur Camilla? quin unu
Aeratam uenientis exit haſtæ.
Tuq; ô Daunie dehinc dature pœnas
Pone gaudia, pone, dura Baltei,
Nam Iuno Iliacos dolens labores
Longo prouehet hinc fauore Teucros.

Ex his grande quidem decusq́; honosq́
Sera olim Hesperiæ & decens uoluptas
Te uicture manet perenne sæclo.
Vix enim ducibus quod alta honorem
Præsenti tibi Roma largietur,
Assurgens quoq; grandius canenti
Toto te uenerabitur Theatro.
Sic Sosthyrides, & deinde dicta
Scripserunt adamante tres Sorores.
Ergo & multiplices sacram coronæ
Diuino rediniunt comam Maroni
Iampridem, & rutilas caput sub auras
Inserat Venetus perinde Cycnus,
Qua non orbita uertitur micantis
Phœbi, nec trabeæ poli laborant.
Hinc discas subitis dies tenebris
Qui stet, cur sola concitata nutent,
Quæ'uis conscia uoluat astra Fati.
Deliq; Triuiæq; quæ gubernent
Orbem numina summa, quoue iungant
Seiungant ue animis onus, quid addant
Lanato pede cogitationes.
Exurgunt uariæ intus unde pestes
Vita ut cum gemitu fugit sub umbras.
Res Fortuna rotat bifrons caducas,
Et forti lacrimæ cadunt inanes.

Quid Graios memorem impigro reflexos
Vsus ad uarios graui figura?
Quam multum interea trahens apertum
Agnoscat dominos fide uel acri
Quam nunc dissimulet labore uoces,
Aut contorqueat, aut tegat decenter,
Aut cogat Latios bibisse succos?
An mores ueterum stilum, & colores,
An uocalium hiantium leporem,
Fusasq; in nitidas opes figuras
Passim Græcula dum recantat Echo?
Hic altos animis ciet furores,
Atq; iras alibi igneus Lacessit.
Excelso sonat ore grandiorq;
Assurgit tonitru, feritq; cœlum
Quanto Phœbados occuparit antra.
Hinc pectus lacrimis rigare obortis,
Hinc miracula sustinere mentes.
Quædam nos propius iuuare, quadam
Possunt longius ac magis remota.
Sicq; copia fandi, honosq; sese
Egit ad numeros. residit illic,
Illic & ualido impete euagatur
Hinc stat aridior iacetq;, & illinc
Late pinguior altius resurgit,
Illinc flore nitet micatq; uerno.

Et quisnam tot opes, tot elegantis
Spectans ingenii sacros labores
Magni non uidet hinc & inde late
Et cœli spacia, & soli, marisque?
Sunt lætæ hic segetes, stat ulmus illic,
A c uite induitur ferax marita,
Hac uirentibus errat acre in herbis
Armentum illicibusque apertis lymphis,
Tellus pars pelago patet latranti,
Pars deserta siti, situque, iniquo
Pallet puluere, squalidisque arenis,
Hinc celsa erigitur minaxque rupes,
Atque antra hinc sinuantur, ac dehiscunt,
Et ualles alibi cubant supinæ.
Iam Natura suas uicesque; seque;
Miratur placidis uigere chartis,
Quas rebus dubiis diu uetustas
A mictu uenerata cum Gabino
Sacris consuluit prius litatis,
Vt quondam anxius Aelius futuri,
Vt tu Sortilega superbe uoce
Clodi Ceionium genus, tumultu
Turbatam ualido potente dextra
Qui rem sistis eques, feroxque; Gallum
Infesto imperio domas rebellem.
Quid uix tertia quem uidebit astas
Regnantem Latio, licet suorum

Non metas dederit, diem ue rebus,
Apœnninicolum triforme numen,
Sat sit Quintilium uidere terris.
An te fatiloqua tacebo forte
Miles optime, & optime imperator,
Qui sæui insidias fugas atroces
Iandudum monitus Vari, salutem
Nam debes Venetæ pius Sibyllæ.
Tentantiq; iterum parentis artes
Terrarum imperium poliq; spondet
Hæres pectoris enthei Pöeta.
Inter deinde Lares benignus ipsos
Hunc natum tibi dedicas Platonem.
Ergo & ipse tuis Pöeta cunis
Spargam lilia prominente uultu
Audaxq; accumulem & colam iuuenta,
Ac primis, rudioribusq; in annis,
Hanc fiduciæ ego diem tonantis.
Quam diem celebrabo & ipse, & ipse
Meus mecum operabitur Sodalis,
Votis atq; animis fruens quotannis,
Et sursum manum habensq;, basiansq;.
Salue magne puer genus deorum,
Magnæq; altera spesq;, luxq; Romæ
Vates Aonidum decus sororum.

Finis.

QVAE CORRIGENDA.

Follio.2.versus.17.poni debet ad seriem aliorum versuum.
Fol.5.versu.7. scie corrige. scio
Fol.5. versu 10. vacuunq; corrige vacuumq;
Fol.5.a tergo:versu pen.oi lucerna corrige. io lucerna.
Fol.8. ve su.20. defecient corrige deficient
Fol.9.a tergo versu.16. qnis corrige quis
Fol.11.a tergo versu.4. umnuibus corrige luminibus.
Fol.12.a tergo versu.10. euim corrige enim
Fol.14.versu.8. Si non pdere v s tuum Nepotē corrige.
Si non vis penitus mori nepotem
Fol.16.a tergo vers.7. Phaetontæi cor. Phaethōtæi
Fol.18.a tergo vers.8. Citheræa cor. Cytheræa
Fol.18.a tergo vers.13. citheren corri. Cytheren
Fol.19.versu.18. occulttq; corrige. occultaq;
Fol.20.versu.vltimo ciramlabentes cor. circūfluētes
Fol.20.a tergo.ver.primo. Sostyron corri. Sosthyron
Fol.24.a tergo versu primo inerit est corri. inerti est
Fol.25.versu primo & milies corrige & millies
Fol.35.a tergo ver.10. rogo senecta cor. rogo te senecta
Fol.37.vers.3. in uersos seriphe & in suaues corrige
inuersos seriphe & insuaues
Fol.38.a tergo vers.penul. Bospohrus corri. Bosphorus
Fol.40.a tergo vers.i. pulcherima corrige. pulcherrima
Fol.41.versu.5. uies corrige viues
Fol.41.versu.15. hahitum. corrige habitum
Fol.44.a tergo versu.3. tcpentes corrige tepentes
Fol.45.ver.13. Dii me bella. corrig. Dii me candida
Fol.46 vers.3. ad latras corrige adlatras
Fol.46.versu.6. fix corrige fex
Fol.49.a tergo versu.13. increpitosset cor. increpitasset
Fol.49.a tergo.uers.18. Lngeni corrige. Ingeni
Fol.50.vers.vltimo loio corrige loto
Fol.50.a tergo.uers.2. Quæ uon. cor. Quæ uox.
Fol.51.a tergo uers.7. age illa cor.ecquid illa
Fol.51.a tergo versu.8. & quid corrige inquam
Fol.101.a terg.vers.13. Leuesq; pedes corr. Leuis pes est

QVAE CORRIGENDA.

At Cochli fordæ. Cochli uacca

Fol.54.a tergo ver.3. Quanq; corr. Quam q; in duobus locis.

Fol.54.a tergo ver.9. auimiq; corr. animiq;.

Fol.54.a tergo ver.15. Dunq; corr. Dum q; in duobus locis

Fol.55.ver 2. famu; corr. fanus

Fol.55.a tergo.ver.primo. crminc. corr. crimine

Fol.55.a tergo VALETINO. cor. VALENTINO.

Fol.58.a tergo ver.3 laceffimus corr. lacessimus

Fol.59.a tergo ver.14. Psilla cor. Psylla

Fol.64.a tergo.ver.1.præponatur lemma AD IANVAM

Fol.70.a tergo ver.25. si dii cor. si dei

Fol.72.ver.12. fugo cor. fuggo

Fol.72.ver.pen. obliuifcers cor. obliuifceris

Fol.75.a tergo.ver.2. Itin cor. Ityn

Fol.77.ver.15. Iurpissimus cor. Turpissimus

Fol.77.a tergo.ver.5. ceutiens cor. centies

Fol.77.a tergo ver.5. mannu cor. manu

Fol.78.ver.12. ore fugæ cor. ore fuge

Fol.80.ver.9. maguo cor. magno

Fol.80.ver.14. iterunq; cor. iterumq;

Fol.82.a tergo ver.ultimo inimico ense cor. ense inimico

Fol.83.ver.11. amen cor amem

Fol.85.ver.1. Heu qnautum cor. Heu quantum

Fol.86. AD IOVIANVM PONTANVM cor. DE IOVIANO PONTANO.

Fol.85.ver.2.quantunq; cor.quantusq;

Fol.85.ver.15. preponatur] PA. in versu sequenti Pa. vacat

Fol.87.a ter o.ver.1.ad seriem redigatur

Fol.87.ver.17. presæntes cor. præsentes

Fol.88.a tergo.ver.5. mondi cor. mundi

Fol.91.ver.16 Fons dum cor. Dum fons

Fol.94.ver.18. vindicibns cor.vindicibus

Fol.96 a tergo ver.9. Et quid cor. Et quis

Præterea, si quæ sint, quæ ad Orthographiam pertineant & accentus aut puncta perperam collocata, & alia, quæ nos latuerunt, per te ipsum amice lector emendabis.

FINIS.

Franciscus Vgoletus & Antonius Viotus
Socii imprimebant Parmæ mense
Septembri.

M.D. .XXVI.



ERRATA CORRIGENDA.

[illegible] Dumque. Dum [illegible]

[illegible]

[illegible] VALETINO. [illegible] VALENTINO.

[illegible] Pisis [illegible] Pisis

[illegible]

[illegible] IOVIANO PONTANO.

[illegible]